

<36632037000017


CONSPECTUS HISTORIÆ UNIVERSITATIS VIENNENSIS,

Ex Actis, veteribùsque Documentis
erutæ,
Atque à primis illius initiis, nempe
Ab An. M. CCC. LXV.
Usque
Ad An. M. CCCC. LXV.
Deductæ,
Seu

SÆCULUM I.

A P. FRIDERICO TILLMEZ,
è Soc. JEsu, Rhetorices Viennens.
Professore
Conscriptus & editus,
An. Incar. Dom. M. DCC. XXII.


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.



Peræ pretium me facturum putavi, si è more aliarum gentium Universitatis quoque Viennensis per Germaniam omnem clarissimæ initia, progressus, varios denique fortunæ utriusque casus, quibus tot inter bellorum tempestates primo suo ab exordio fluctuaverat, in lucem vulgavero, non eô quidem animô, quòd tot tâmque insignia illius decora, résque pro Regno æquè ac Religione fortiter, felicitérque gestas paucis me hisce complexurum paginis confidam, sed quòd illorum, qui historiam hanc meam inspexerint, excitanda sperem ingenia, ut vel ea, quæ omitti à me brevitatis studiô debuêre, aut vix obiter insinuata sunt, fusiori aliquando melioríque scribendi ratione prosequantur, aut certè ut hujus temporis Illustres Viri majorum suorum præclaram gloriam pari in literatos omnes favore studióque æmulentur; qui literariam hanc Rempublicam beneficiis amplissimis summâque eruditionis famâ ad aliarum nationum invidiam auxêre. Quod si enim Jura prærogativásque à summis Principibus indultas in gloriæ partem vocare fas fuerit; eam Parisiensi ceterarum Principi parem; si stipendiis allectos undique, adscitósque viros Doctissimos; nulli per Germaniam secundam; si temporis diuturnitatem, qua hactenus floruit; antiquissimam eam è jure, meritóque dici intelligemus. Et verò est ea pervulgata jam multorum opinio, Archigymnasii hujus initia à Friderico II. Cæsare feliciter jacta, bonarúmque artium Disciplinas omnes in urbem hanc Principem Annô salutis 1237. fuisse inductas, cujus quidem primum Autorem fuisse

Lazium in Chronico suo Viennensi l. 2. pag. 47. haud obscurè conjicio, quem dein secuti sunt Ederus in Catalogo Rectorum Viennensium. Fuggerus. l. 3. pag. 334. atque ipse quidem Bulæus Vir à summa eruditione clarissimus in Historia sua Universitatis Parisiensis. tom. 3. quorum sententiæ non invitus & ego subscriberem, si erectas duntaxat eo tempore erudiendæ Juventuti Scholas, seu levia exordia statuerent, è quibus dein post annorum complurium, atque seculi unius intervallum Artium hæc omnium Mater Universitas succrevit. Verùm cùm eò usque progressus sit Lazius, ut l. 2. Rerum Viennensium c. 5. asserere non dubitet, jam tum in facultates suas divisas fuisse studentium classes; imò cùm & Ederus ejusdem sectator egregius haud dubiè affirmare audeat à Friderici II. tempore certos Universitati huic Rectores præfuisse, & jus conferendi Doctorum insignia ab eodem Cæsare concessum; meritò ab eorum opinione discedo, motus præprimis autoritate Lambecii, qui in commentariis suis de Bibliothec. Cæsar. l. 2. c. 5. multiplicis erroris Lazium convincit, ad quem etiam benevolum lectorem remitto. Præterquam enim, quod hoc Friderici diploma manuscriptum diligentissimè quidem à Lambecio quæsitum, nusquam tamen repertum sit, meritò suspectus est Lazius, nè vel has ipsas literas malè interpretatus sit, aut augendæ antiquitatis gratiâ ob nimium in Academiam nostram studium, his Friderici verbis: Potestatem damus plenariam Magistro, qui Wiennæ per nos, & Successores nostros ad Scholarum regimen adsumetur, ut alios Doctores substituat. Nè inquam his verbis Friderici illud temerè adjecerit. In facultatibus substituat. Maximè cùm id & Rudolphi IV. Archi-Ducis Austriæ & Alberti IV. literis, & Urbani V. & VI. summorum Pontificum diplomatibus haud parùm adversetur, quæ inferiùs dabo.

bo. Unum hic præter ea, quæ ex Lambecio excerpsi, breviter subjungam, Diploma scilicet Alberti Ducis Austriæ datum Anno 1296. quod ex Tabular. Senatus Civici acceptum teneo, éstque sequens, fide summa à me redditum.

Wür Albrecht von Gottes gnaden Herzog ze Oestereich, und ze Steyr, Herr ze Crain, der March, und zuo Portenau &c. allen denen die in Leben, und hernach künfftig sind ewiglich.

Wan die gemaine unser lieben getreuen reicher und armer der Burger ze Wien mit rechten treuen, und mit ganzer stöttigkeit ihr Herrschafft, &c. Ac dein post pauca. Seit das von alter Gewohnheit der Fürsten in Oestereich also herkomen ist, das wier die Schuel ze Wienn verleihen solten: doch wöllen wier, und bestetten das vestiklichen, zuo einer sonderlichen Gnad der Burger, und den Rath von der Stat, die Schuel ze Wienn fürbas ewiglich ze verleihen; Wan sie allen Nuz, und alle Ehre in der Statt schaffen sollen, so sollen sie auch ihren Kindern einen Schuelmaister schaffen, des sie nuz, und ehre haben an Kunst, und an Ehren, so sie an allerbesten findten, und gehaben mögen, als sie umb ihrer Freund künfftige Lehrunge Gott antworten sollen, ob von der Saumbunge ihr ainer müessrieth; Wür wollen auch die Lehrung der lernten gemeiniglich beruehen, da von die Weisheit gekündet wird der Christenheit, und das ungelert Alter von Kindheit wird geweiset, und gelehret. So geben Wir vollen Gewalt dem Schulmaister des Sant Stephan der Pharrkürchen, der von dem Rath der Statt da wird gesezet zuo Schuelmaister ander Schuel, under sich ze stifften in der Statt, und doch das sie ehrlich, und gewönhlich sein, alle die Schule, die in der Statt seind, die sollen den selben Maister unterthänig sein mit Zins, und mit Zucht künfftlicher Bewahrung. Wer darwider ein Schuel zu seiner Kirchen, oder in seinen Haus hat,

 wider

wider des Maisters Willen, und der Burger, das sollen die Burger wenden mit allen Sachen. Wer darüber freventlich thette, den wollen wir püessen an Leib und auch an Gueth. Derselbe Schuelmaister von Sant Stephan soll richten von seinen Schuelern, alles das unter ihm gschicht, als das da geht an dem Todt und an die Lem. Kindlich Khünheit iebt offt unzimblich Bosheit; doch so wachsente Wize mit den Jahren, da von wollen wir, ob ein Schueler, der unter dem Bösen ist, seinen Freundten, bey dem er ist heimblich icht entfernet seines Guet, oder ein Schueler dem ander, das soll der Maister richten mit starken bösen schlagen. Wer aber die Gethatt so grofs, das sich der Maister des Schueler eusser, so man ihm dan begriffe, das sol man gen ihm richten als dan recht ist. Welcher Schueler ungefiert, und ungevolgig dem Schuelmaister wolte sein, der soll die Statt raumben, oder er werd ein Leye. Wer ihm darüber behalt, der soll dem richter geben 2. Pfundt, und an die Statt 2. Pfund. Als aber in frevelichen, und wissentlich behaltet trey Tag wider den Maister und der Burger. Trägt ein Schueler Schwert, oder Messer, den soll der Schuelmaister darumb bessern; Wolt er der Besserung nicht für guet haben, so soll ihm der Schuelmaister dem Richter andtworten, der soll ihm dann püessen nach Rath. Welcher Schueler dan spilt in der Tabern, der soll nicht mehr mögen verlieren, dan er braiter Pfening bei ihn hab, sein Gewant, seine Bücher, oder ander sein Pfant soll ihm niemant nemben. Damit wöllen wier wöhren, das niemant mit ihm spiell, und ihrer Lehrung desto fleissiger warten. Wer ihr Pfand darüber nimbt, den soll der Richter püessen, also das er ihm gebe zwei Pfund, und an die Statt zwei Pfund. Alle die in die Statt kommen, und Burger darinn werden, &c. Claudit tandem hoc Diploma sequentibus verbis: Diser Brieff ist gegeben ze Wienn mit Maister Otten handt von Metlich unsers Obristen

Schrei-

Schreiber, da von Xſtus geburt warn tauſend Jahr zwei hundert Jahr in den ſechs und neunzigſten Jahr. An den erſten Sontag in der Faſten, als man ſingt das Ambt Invocavit.

' Legat, perlegátque peritus quiſpiam, æquúſque arbiter Alberti has ipſas literas, multò ſanè illis recentiores, quas à Friderico datas Lazius retulit, & nihil in illis reperiet, quod Univerſitatis ſpeciem referat, quódque conferendi Doctoratûs inſignia jus poteſtatémque innuat, vel diviſos in facultates varias ſcientiarum Magiſtros probet; quod certè Princeps hic minutiora longè perſequens eo ipſo in Diplomate, quô Sholas publicas confirmat, haud intermiſſurus fuiſſe cenſendus eſt, ſi eorum privilegiorum in Urbe hac ſua Principe per ſexaginta ferè jam annos ſcholarum moderatoribus jus aliquod uſúſque fuiſſet. Ego ſanè de tenera puerorum ætate humanioribus literis, aut ut mitiùs agam, Philoſophiæ quoque diſciplinis imbuendâ locutum fuiſſe Albertum exiſtimo, non de ſeverioribus Jurisprudentiæ, Medicinæque Artibus; multóque meliùs acturum fuiſſe Lazium, ſi à rerum geſtarum magnitudine potiùs, quarum ei neque copia potuit, neque, cùm ipſe eam Rector moderatus ſit, notitia debuit deeſſe, quàm ab afficta ſeculi unius antiquitate Univerſitatis hujus famam, noménque augere ſtuduiſſet. Verùm ſepoſitâ tantiſper hac lite, quam invitus, ac pene neceſſitate quadam compulſus ſuſcepi, ad hiſtoriam ipſam, rerúmque geſtarum ſeriem accedamus. Datâ igitur Annô 1237. erigendi Scholas publicas à Friderico II. Cæſare poteſtate, varii à Pædagogis variis ludi Viennæ aperti ſunt, in quibus Juventus tum patrio tum latio ſermone aliíſque artibus excolebatur ea tamen ratione, ut Præceptores ceteri illius unius ductu arbitrióque regerentur, quem celeberrimo ad S. Stephani ludo præeſſe, Cæſar aut futuri per Auſtriam Principes juſſiſſent. Confirmavit id ipſum Urbis hujus privi-

 legium

legium deinceps, quin & auxit Albertus Dux Austriæ Annô 1296. literis à me superiùs adductis; cùm jus suum nominandi Rectorem Scholarum Viennensium in Cives eorúmque senatum transferret. Quô factô mirum est, quantùm Discentium æquè ac docentium numerus indies accreverit vicinis undique Austriæ è locis confluente puerorum Juvenúmque ætate. Atque præprimis quidem ad eam literariam palæstram, quæ dignitate tum prima, nomen ab adsito Divi Stephani templo traxerat; duravítque hæc literas tradendi ratio ad Annum usque 1365. quo demum provida Rudolphi IV. Archi-Ducis Austriæ cura in meliorem nobilioréḿque formam immutata est: cùm enim optimus hic Princeps nullis in illustranda atque excolenda hac urbe Ducúmque Principe sede sumptibus pepercisset, extructâ prope è fundamentis Augustâ Divi Stephani Basilicâ; paræciâ Viennensi in Præposituram erectâ, fundatis amplissimo censu viginti quatuor Canonicis; ne minùs literarum amori, quàm pietati tribuere videretur, néve minùs Eruditioni suorum civium quàm Religoni consuleret, Parisiensium maximè scholarum famâ in pulcherrimam æmulationem accensus in id curam omnem, animúmque convertit, ut erigendæ Universitatis à summo Pontifice veniam obtineret. Nec abnuit Urbanus V. summus tunc Ecclesiæ Antistes. Annô siquidem 1365. edito diplomate justissimis piissimi optiméque de Ecclesia meriti Principis desiderio votísque subscripsit, quod etiam, uti à me in actis Universitatis repertum est, sincera fide subjungo.

Urbanus Episcopus Servus Servorum DEI ad perpetuam rei memoriam.

IN supremæ dignitatis Apostolicæ specula licèt immeriti disponente Domino constituti, ad universas fidelium Regiones, eorúmque profectus & commoda tanquam universalis gregis Dominici pastor, commissæ nobis

bis

bis speculationis aciem, quantùm nobis ex alto permittitur, extendentes, fidelibus ipsis ad quærenda studia, per quæ Divini nominis, suæq; fidei Catholicæ cultus protenditur, justitia colitur, tam publica, quàm privata res geritur utiliter, omnísque prosperitas humanæ conditionis augetur, libenter favores gratiosos impendimus, & opportuna commoditatis auxilia liberaliter impertimur. Cùm itaque, sicut nuper ex parte dilecti filii, Nobilis Viri Rudolphi Ducis Austriæ fuit propositum in consistorio coram nobis, ipse Dux non solùm ad utilitatem & prosperitatem hujusmodi Reipublicæ, & Incolarum Ducatûs sui Austriæ, sed etiam aliarum partium vicinarum laudabiliter intendens in villa sua Wiennensi Pataviensis Diœcesis, in prædicto Ducatu consistente, tanquam insigniori, & magis ad hoc commoda, & idonea, plurimum desideret fieri, & ordinari per sedem Apostolicam studium generale in qualibet licita facultate, ut ibidem fides ipsa dilatetur, erudiantur simplices, æquitas servetur, Judicii crescat ratio, & intellectus hominum augeatur. Nos præmissa, ac etiam eximiam fidei & devotionis sinceritatem, quam tam ipse Dux, quàm Progenitores sui Duces Austriæ ad sanctam Romanam Ecclesiam gesserunt, prout ipse Dux gerere dinoscitur, attentè considerantes, ferventi desiderio ducimur, quòd Ducatus, & villa prædicta scientiarum muneribus amplientur, ut viros producant consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diversarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi scientiarum fons irriguus, de cujus plenitudine hauriant universi literarum cupientes imbui documentis. His igitur omnibus, & præsertim idoneitate dictæ villæ, quæ ad multiplicanda doctrinæ semina, & germina salutaria producenda magis congrua & accommoda inter alias villas Ducatûs prædicti fore dicitur, diligenti examinatione pensatis, non solùm ad ipsorum Ducatûs & villæ, sed etiam Regionum circumjacentium Incolarum commodum, & pro-

profectum paternis affectibus anhelantes, dicti Ducis in hac parte supplicationibus inclinati, de Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica statuimus, & etiam ordinamus, ut in dicta villa de cætero sit studium generale, illúdque perpetuis temporibus inibi vigeat, tam in Juris Canonici & Civilis, quàm in alia qualibet licita, præterquam Theologicâ facultate, & quòd legentes, & studentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus concessis Doctoribus legentibus, & studentibus, commorantibus in studio generali, gaudeant, & utantur: quódque, qui processu temporis bravium meruerint in illa facultate, in qua studuerint, obtinere, sibíque docendi licentiam, & alios erudire valeant, ac Doctoratûs, seu Magisterii honorem petierint, elargiri per Doctores, seu Doctorem ac Magistros, seu Magistrum illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, Præposito Ecclesiæ omnium Sanctorum dictæ Villæ, qui pro tempore fuerit, vel Præpositura ipsius Ecclesiæ vacante, illi, qui ad hoc per dilectos filios, capitulum ejusdem Ecclesiæ, Deputatus fuerit, præsententur. Idem quoque Præpositus, aut Deputatus, ut præfertur, Doctoribus, & Magistris in eadem facultate actu inibi regentibus, convocatis, illos in his, quæ circa promovendos ad Doctoratûs, seu Magisterii honorem requiruntur, per se, vel per alium juxta modum, & consuetudinem, qui super talibus in generalibus studiis observantur, examinare studeat diligenter, eisque, si ad ad hoc sufficientes, & idonei reperti fuerint, hujusmodi licentiam tribuat, & Doctoratûs, seu Magisterii conferat honorem. Illi verò, qui in eodem studio dictæ villæ examinati & approbati fuerint, ac docendi licentiam & honorem hujusmodi obtinuerint, ùt est dictum, ex tunc absque examine & approbatione alia regendi, & docendi tam in villa prædicta, quàm singulis aliis studiis generalibus, in quibus voluerint, regere, & docere, statutis, & consuetudinibus quibuscumque contrariis,

Apo-

Apostolica vel alia quacunque firmitate vallatis, nequaquam obstantibus, plenam & liberam habeant facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, & ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinion. XIII. Kalend. Julii Pontificatûs nostri annô tertiô.

Hoc diploma integrum dare placuit, tum quia expediendis plurimis per decursum historiæ enodandísque difficultatibus serviet, tum, quia apertissimè declarat, nullam ante id tempus Universitatem Viennæ fuisse, sed erectæ illius gloriam Rudolphi Archi-Ducis ejus nominis IV. studio Urbaníque V. favoribus deberi, multúmque halucinatum fuisse Lazium, qui l. 2. Genealog. Austriacæ p. 228. præclaræ hujus rei Autorem Albertum II. cognomine sapientem Rudolphi parentem constituit his ipsis, quæ subjungo, verbis: *Tradunt Annales hunc Principem prima fundamenta jecisse cum Academia Viennensis constituto Collegio prope arcem, non ita procul ab Augustinianorum templo: tum Capituli Viennensis ad S. Stephanum, &c.* Ubi vir bonus haud dubiè Filiorum acta Rudolphi scilicet IV. & Alberti III. cum Parentis rebus gestis confundit. Eodem annô Privilegium à Rudolpho, Alberto, & Leopoldo Fratribus Universitati Viennensi datum refert Autor Codicis Austriaci: cujus partem aliquam dabo.

Reputamus summè necessarium dicti studii Universitatem, Docentium, & discentium Collegium specialibus defensionibus, & commodis indigere, & præcipuè quod communium, & vulgarium hominum habitatione semoti, in loco distincto firmis septis includendo actus scholasticos exercere, & peragere valeant non pæditi strepitu populari. Idcirco quo supra nomine ejusdem scholis, ac privilegiato, & generali studio, & ejus nomine

mine Universitati Magistrorum, & scholarium ibidem deputavimus, assignavimus, & donavimus, deputamus, assignamus, & donamus præsentibus prædictis scholis, & studio locum subscriptis terminis, & finibus interclusum, quem quidem locum pro uberiori Universitatis protectione, & quietudine Ducali nostro palatio proximum esse volumus, & annexum. Ejusdem autem specificatio, & descriptio cum suis muniminibus & aditibus subnotatur: videlicet, totale spatium comprehensum inter dictum nostrum castrum, seu palatium, & monasterium Scotorum dictæ Villæ Viennensis cum omnibus mansionibus, domibus, curiis, viridariis, & pomeriis in eo contentis, inter quem locum monasterium Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci dignoscitur esse situm. Verùm quia parum valeret generale studium erigere, & Universitatem hujusmodi venerabilem colligere, nisi ei de excepta prærogativæ privilegiis, libertatibus, & juribus caveamus. De sapientum & peritorum virorum maturo & digesto consilio communicato sæpiùs, de certa scientia quo super nomine per præsentis scripti seriem Ducali Autoritate statuimus, ac etiam ordinamus perpetuò irrefragabiliter observandum, volentes, quòd omnes nostri Principes, Prælati, Clerici, & Laici, Religiosi, & sæculares milites, Armigeri, Cives, Burgenses, ac ceteri homines intra prædicti loci descriptionem, seu circumferentiam domûs vel curias habitantes, easdem in tam firmo serarum munimine, & tam rigido inhabitantium regimine & custodia servent, & teneant, quòd dictæ Universitatis Magistris, & Studentibus nulla penitus realis vel verbalis injuria, offensa, seu molestia ex eisdem suis habitationibus diurno seu nocturno tempore valeat irrogari, sub nostra indignationis pœna, ac earundem suarum habitationem amissione, seu jactura. Et hunc, qui sic nostram indignationem incurrerit, punire volumus, & emendare debemus, quàm primum ad nos deductum fuerit per querelam, prout nobis conveniens,

&

& æquum videbitur juxta qualitatem excessûs, & continentiam privilegiorum, gratiarum, & jurium dictæ Universitati concessarum, dolo, & fraude penitus circumspectis &c. Si quam verò domum in dicto loco sitam taxatam pro censu annuo, ut prædicitur jus retractûs Clericus vel Laicus de Universitate non existens præhabita inhabitaret, sive possideret quomodolibet quique Magister studens, seu scholaris Universitatis ejusdem ad inhabitandum postulabit, huic ejusdem domûs inhabitator seu possessor debet cedere censu annuo pro rata temporis persoluto &c.

Consulit præterea his ipsis in literis suis accedentium seu Magistrorum, seu scholarium ad Viennensem Academiam securitati sponsione addita, si quis eorum intra fines terrarum suarum vel pecuniam vel libros aut vestes amiserit, se omnia sinè mora persoluturum. Comitibus, Baronibus, Proceribus, Judicibúsque omnibus severè quoque demandat, ut venientibus æquè atque hinc discedentibus salvum conductum præbeant, eos, si petitum fuerit, per suos deducant, nulla omnino pecuniarum exactione pro ejusmodi deductione facta. Res præterea familiares studentium huc adportandas à teloniorum onere eximit, ipsos verò literarum causâ hìc demorantes steuris, exactionibus, ceterísque oneribus vexari prohibet. In mutilatores, occisores, aut violentos studentium invasores gravissimas pœnas decernit, nec ullâ ejusmodi homines loci immunitate aut asylo gaudere declarat. De bonis denique ab intestato decedentibus in hunc modum statuit.

Statuimus quoque, quòd si quis Magister vel Studens dictæ Universitatis intestatus decedens bona mobilia vel immobilia reliquerit, quod eadem per Rectorem Universitatis illæsa absque diminutione qualibet integraliter per annum & diem teneantur, & conserventur; infra quod tempus, si quis compareat, qui prout juris est, testibus idoneis docere valeat, se esse

ejus-

ejusdem defuncti hæredem proximiorem, & legitimum ab intestato; huic Rector cuncta ejus bona assignare debet, & tradere, contradictione qualibet non obstante. Si verò nullus tális comparebit, ipse Rector libros defuncti, si quos reliquerit, assignet, & tribuat dictæ Universitatis publicæ librariæ: de reliquis defuncti bonis mobilibus, & immobilibus ad consilium 4. Procuratorum specificatorum inferiùs dispositurus pro salute & remedio suæ animæ. quemadmodum pro qualitate negotii eis per ipsorum fidem & conscientiam absque omni dolo visum fuerit expedire.

Datæ sunt hæ litteræ à Rudolpho Archi-Duce ejúsque Fratribus Alberto, & Leopoldo, ùt citatus Autor innuit, 12. Martii, Anno 1365. adeóque tribus ferè mensibus citiùs, quàm diploma Urbani V. de Universitatis hujus erectione vulgaretur. Neque mirum id alicui videri debet; nam scire aliunde pronum in hunc favorem Pontificis animum potuit, ac ab Oratoribus suis de erigenda hac proximè per Apostolicæ Sedis autoritatem Universitate certior fieri. Accedit, quod ex his Rudolphi verbis: *Verùm quia parum valeret generale studium erigere, & Universitatem hujusmodi venerabilem colligere,* &c. haud obscurè intelligere liceat, privilegia hæc non dum erectæ à se Universitati data, sed antea conscripta, fors ut visis his prærogativis, quibus literata hæc respublica ornanda foret, citiùs Pontificis animum ad eam approbandam flecteret, néve ob iter, quod in Italiam Archi-Dux ipse moliebatur, mora aliqua exequendæ præclaræ suæ voluntati injiceretur, & ut allecti amplissimis his privilegiis Viri undique eruditissimi illico confluerent, ubi summi Ecclesiæ Antistitis autoritate concessum Artium disciplinarúmque plurimarum studium Urbi huic fuisse intellexerint. Et verò non deerat jam tum hujusmodi virorum Viennam petentium copia, inter quos & Albertus de Saxonia fuisse dicitur, cujus Haslbachius, qui seculò quartò floruit, déque Universita-

te

te hac noſtra ob res præclarè geſtas, navatámque Principibus operam optimè meritus eſt, his verbis meminit in Chronico ſuo Auſtriaco hactenus inedito. *Univerſitatem ſtudii* (de Rudolpho IV. loquitur) *in Wiennenſi oppido præclariſſimo, & totius domûs Auſtriæ capitali, ab Urbano quinto miſſo Magiſtro Alberto de Saxonia Halberſtadenſi Epiſcopo ad legendum inibi publicè Canonica atque Civilia jura, Medicinam & ſeptem artes liberales Apoſtolica largitione conceſſit.* Plura majoráque incrementa, ne illo ſub Principe Univerſitas vix erecta caperet, invida fata præpediêre. Nam cùm hoc eodem anno Mediolanum ad Bernabonem Ducem ſe contuliſſet, ut ejus filiam Viridam nomine Juniori Fratri ſuo Leopoldo nuptui traderet, rebus apud eundem Ducem proſperè geſtis ex æſtu nimio in febres incidit, ibidémque extinctus eſt Menſe Julio, Annô ætatis ſuæ 26. uti pluribus teſtimoniis in edita à me typíſque vulgata Divi Stephani Baſilica titulo 3. & ultimo oſtenſum eſt. Oſſa ejus ſubinde Viennam delata in crypta Archi-Ducum à ſe conſtructa in templo S. Stephani ſunt condita ingenti ſanè tum Auſtriæ, tum Eruditorum omnium cum luctu, cùm illa Patrem amantiſſimum, hi fautorem patronúmque maximum ſibi ereptum eſſe dolerent. Juſta illi perſolvit Urbs noſtra inter lachrymas pompâ optimo Principi dignâ, eíque deinceps ab Univerſitate annuâ memoriâ parentatum eſt. Unum hìc mirari ſatis haud poſſum, quid fuerit, quòd Principi tam præclarè de Eccleſia merito erigendi quidem Univerſitatem poteſtas ab Urbano V. Summo Pontifice facta ſit Principe tamen omnium facultate, quæ ſacratiores ſcientias Divináſque literas exponeret, deſideratâ. Nec alia initi ejus conſilii mihi ratio occurrit, quàm quod tot diverſis in locis, ac præcipuè Lutetiis prioribus annis à ſacrarum literarum malè peritis ingeniis ortæ Hæreſes cautiorem reddiderint ſolicitum de Eccleſiæ bono Antiſtitem, ne liberalior in admittendis ſanctioribus

ribus his diſciplinis deinceps eſſet. Aliam tamen rei ejusdem cauſam reddit Haslbachius ſuperiùs à me citatus his verbis: *Facultatem Theologicam non admiſit agente Carolo Imperatore ſocero ſuo* (intellige Rudolphi IV.) *qui hac ratione permotus. & ne ſibi in hac parte prior videretur Univerſitatem ſtudii literarum in Pragenſi Civitate volens inſtituere Apoſtolica autoritate, cùm antea ſola ſua autoritate leges & artes inibi palam docerentur; prout hoc ex veridica relatione egregiorum virorum didici, & poſt ex aurea quadam bulla Imperiali, dum Pragæ degiſſem, agnovi.* Quæ ſi vera ſunt, conſtat haud obſcurè juniorem Pragenſem Univerſitatem hac noſtra Viennenſi eſſe. Sed obſtare videntur ſcriptores plurimi opinioni huic adverſantes, quamvìs & illi ipſi inter ſeſe minimè conſentiant. Fuggerus l. 3. c. 8. fol. 338. Pràgenſem Univerſitatem à Carolo erectam fuiſſe teſtatur Anno 1358. Bulæus in Hiſtoriæ Pariſienſis tomo 4. ſæcul. ſexto. pag. 313. eam vult inſtitutam Anno 1348. Ejusdem cum Bulæo eſt ſententiæ Joachimus Camerarius l. de Eccleſiis Fratrum in Bohemia, & Moravia. Trithemius in Chron. Hirſav. T. 2. fol. 242. ad Annum referre videtur 1360. qui tamen, cùm diſcordes adeò ſint, nec certum ullum ex antiquis monumentis teſtimonium adferant, haud adeò metuendi eſſent Haslbachio, niſi majus negotium illi faceſſeret Balbinus in Epitome hiſtorica Rerum Bohemicarum. qui lib. 9. c. XXI. pag. 359. rejectis aliorum omnium opinionibus, Academiæ Pragenſis fundationem factam eſſe tradit Annô 1347. dicítque literas originales in manibus ſibi eſſe tum Clementis VI. Avenione datæ annô 1347. 26. Januarii, & Caroli Imperatoris eundem annum, diem verò ſeptimum Aprilis præferentes. Ego, cùm mihi eæ originales literæ in manum ac ſub conſpectum nunquam venerint, nec Bulla aurea à Carolo IV. edita (quam tamen citat) favere magnopere Balbino videatur, fidem ſuſpendo, rémque

que omnem decidendam lectorum prudenti arbitrio relinquo, illud solùm admonere hic volui D. Paulum Sorbait Universitatis quondam nostræ Rectorem in catalogo Rector: Archi-Gymnasii Viennensis referre, à Carolo quarto Pragense Gymnasium, ùt ille vocat, non institutum, ante Annum 1366, quo in Italiam profectus est, seditiosas quasdam urbes armis ac bello in obsequium justámque deditionem coacturus. Literas etiam ab Urbano V. editas 1366. esse, quibus Religiosorum 4. Ordines ad Pragense studium invitat, quas literas tomo suo 4. citat Bulæus, súntque sequentes.

URbanus Episcopus servus servorum DEI, dilectis filiis Minorum Ministro, ac Prædicatorum, Eremitarum S. Augustini, & S. MARIÆ de Monte Carmello Ordinum Prioribus Fratrum, Provincialibus Provinciarum illarum, in quibus secundùm morem singulorum Ordinum prædictorum Bohemiæ Regnum consistit nec non Guardiano, Prioribus, & Fratribus domorum Pragensium Ordinum prædictorum salutem, & Apostolicam benedictionem.

ETsi sacræ Theologiæ studio, per quam vera & Catholicæ fidei, æternæq; Deitatis, & humanæ salutis, & summi boni habetur agnitio, sit ubivis insistendum, in generalibus tamen studiis propter studentium multitudinem, & concursum circa ejus lecturam tantò diligentiùs decet attendi, quantò in eis ejusdem scientiæ veritas magis exquiritur, & , si quæ emergunt dubia, lucidiùs declarantur. Cupientes igitur præmissorum intuitu, necnon charissimi in Christo Filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Bohemiæ Regis illustris super hoc nobis humiliter supplicantis, quòd generale studium, quod in qualibet licita facultate, & Apostolicæ Sedis indultu viget in Civitate

Pra-

Pragensi, quæ in Regno Bohemiæ principaliter existit in facultate per bonorum sufficientiam Magistrorum tanquam nova plantatio floreat, atque fructificet, discretionem vestram hortamur attentè, quatenus ob Divinæ Majestatis, & nostram, ac prædictæ sedis reverentiam, quod etiam sine exhortatione aliqua facere debetis, in singulis domibus, ac locis vestris de Civitate prædicta doctos, sufficientes, & bonos in eadem facultate Magistros, qui ibidem in ea degant, & doceant juxta morem aliorum generalium studiorum habere, & tenere continuò studeatis, id tam per vos, quàm apud Superiores vestros sic fideliter, & solicitè procurantes, quòd inde optatus fructus proveniat, qui speratur, nósque proinde vestram possimus in Domino commendare diligentiam. Datum Avenione tertio Idus Novembris Annô Pontif. nostri quintô.

Quæ Epistola meritò fortassis dubium movere prudentibus posset, cur in eadem dictus Pontifiex studium Pragense novam plantationem vocitet, si jam anno 1347. in Universitatem erectum est, ùt Balbinus, aut saltem annô 1358, ùt alii volunt. Præterea cur hoc primùm anno precibus Caroli inductus Urbanus Religosos viros tanquam Magistros, ac Doctores Pragensem ad Academiam invitârit, si ut antiquitati Pragensis Universitatis studiosi scriptores volunt, jam multis antea annis adeò viris doctis undique confluentibus eò usque abundavit, ut ceteras omnes Germaniæ Academias longè superârit, ùt nominatim quidem Trithemius, & cum Camerario Bulæus, loco à me citato clarè insinuant, quemadmodum inspicientibus patebit. Certè & Bulæus ipse toties à me laudatus hoc loco aberrâsse censendus est, cùm ad annum 1366. has literas Pontificis referat: ùt enim ex serie Pontificum patet, Annus Pontificatûs Urbani quintus alius esse non potest, quàm Annus 1367. sed ad historiam redeamus.

Demortuô Rudolphô IV. Fratres illius videlicet Alber-

Albertus III. cum Trica dictus, & Leopoldus Probus aliquamdiu res Austriacas junctis consiliis, parique autoritate administrarunt. Sed ortis subinde inter utrumque discordiis, Procerum consiliô hoc eodem adhuc anno Leopoldus in Ergoviam vicináque Helvetiis loca abiit. Hic Leopoldi à Fratre ex Austria discessus occasionem deinde præbuit Provincias, quæ hactenus Austriæ Ducibus accreverant, dividendi, quamvis hæc ipsa divisio Fratrum æmulatione dein sæpiùs fuerit immutata. Quæ verò ex dictis Provinciis Leopoldo addictæ sint, quævé Alberto III. remanserint, commodiùs in annum mox sequentem referam. Nec vitio vertet benevolus Lector, si & alia quædam, quæ minus ad rem nostram pertinere aliquibus videbuntur, sequentibus Annis inseruero, non enim id alio à fine factum fuisse velim sibi persuadeat, quàm ut secuturæ historiæ facem præferant, résque Universitatis tanto clariùs evolvant, deinceps tractandas.

Sejunctis ea ratione non tam terris quàm animis Alberto & Leopoldo Fratribus, urgentibus præcipuè, qui Leopoldo à consiliis erant, nè in graviores discordias animorum ea dissensio excresceret, in hunc modum ambo Anno 1366. convenerunt; ut Alberto tanquam seniori Austria, Styria, & Carinthia cederet, Leopoldus verò Alsatiam, ceterásque Provincias Suevis, Helvetísque vicinas jure teneret, Tyroli uterque pari autoritate præesset. Meminit hujus partitionis Haslbachius, Roo, Fuggerus. nec non manuscripta quædam antiquiora. Sunt tamen ex illis, qui eam priori anno factam contendunt. Ego, quia tam citò negotium hoc perfici haud posse existimo, occasionem illius Annô 1365. quidem subortam, eámque ipsam divisionem jam tum attentatam, at non nisi hoc anno perfectam statuo, sicque concordari posse dissentientes inter se scriptorum opiniones confido. At quàm hæc ipsa conciliandi infensos Fratrum ani-

mos, perniciosa fuerit ratio Principibus Austriæ, quàm illorum vires infregerit, quot novarum discordiarum materiam præbuerit, sequentibus annis referemus.

Pacatis sic tantisper Principibus ad exterorum sedandos motus animósque componendos procedendum erat. Cùm enim Anno 1367. Patavienses Gives in Albertum tertium Episcopum suum Baronem de Winckl ex nobili Austriæ prosapia ortum consurrexissent, eóque odia partium progressa essent, ut in aciem educerentur exercitus, victoria tandem licèt cruenta Episcopo cessit. Coactíque seditiosi fuêre Gives ut 2000. marcas argenti è sententia jussúque Imperatoris Caroli Præsuli suo persolverent. ita Hundius in sua Metropol. Salisburg. pag. 144. Addit hic quoque Struno in Annal. Austriæ Superioris. Duces Austriæ laboranti Episcopo suppetias tulisse, qui etiam sequenti anno ut ex Hundio patet inter Albertum & Patavienses Cives rem omnem composuêre.

Eodem hoc anno venit Avenione in Italiam Urbanus quintus, qui primus Universitatem hanc nostram diplomate edito erexit, petentibus ejus reditum Romanis, Cardinalibus verò quos secum Avenione habuerat, maximè renitentibus, ùt Brietius testatur ad hunc annum, & Bulæus tom. 4. Sæcul. 6. pag. 414.

Ad hunc annum 1369. refert Doctor Paulus Sorbait in Catalogo Rectorum Viennensium scripsisse primò Joannem Wicleffum contra Papatum, cujus (ut inquit ille) libri in Bohemiam delati à Joanne Huss leguntur. Sed errare videtur, nam Bulæus ad annum 1376. meliùs refert. Cujus verba subjungo: *Hoc quoque anno*, intellige 1376. *exardescere cepit in Anglia præsertim verò Oxoniæ Hæresis Joannis Wicleffi, quæ hunc ortum habuisse fertur. M. Joan. Wicleffus, Doctor Theologiæ in Academia Oxoniensi, Rector Ecclesiæ Luttleworth Lincolniensis Diæcesis, iratus Pontifici, quòd eius decreto à præfectura Collegii Cantuariensis in Universitate Oxoniensi, quam contra interdictum Archi-*

Episcopi

Episcopi contra fas, jusque invaserat, dejectus fuisset, arrepta occasione alienationis animorum, quæ tunc erat in Anglia à Romano Pontifice propter beneficiorum non satis æquas collationes & pecuniarum exactiones, scripsit adversùs Papæ principatum, & autoritatem, eámque longè infra Regiam depressit; præsertim verò in exactiones ejus immodicas invectus est, insatiabilémque Romanorum Legatorum ambitionem, ingluviémque maternâ & latinâ linguâ plurimùm accusavit. Quæ doctrina sparsa in vulgus placuit, nec populo solùm, sed Proceribus Regni, & plurimis etiam Ecclesiæ Prælatis, & inferioribus Sacerdotibus, qui bonorum Ecclesiasticorum depradationem ejusmodi molestè ferebant. Cui doctrinæ impudentissimæ, cùm se opponerent mendicantium Ordines, concitatior Hæresiarcha ad communem Sectariorum scopulum delapsus Eucharistiæ Sacramentum oppugnare vehementissimè cæpit, ùt postea videbimus. Hæc referre placuit, ùt ortum perniciosissimæ hujus pestis Lector benevolus non ignoraret, quæ Europæ Universitates propè omnes, ac præprimis hanc nostram Viennensem multis deinceps annis fatigavit.

Felix sanè Urbanus V. quem priùs fata orbi eripuerant, ne Summorum Pontificum autoritatem à perditissimis quibusque impugnari circumlatâ per vicinas omnes Provincias clade cerneret. Nam cùm Annô 1370. in Galliam reverteretur eo consilio, ut Francorum Anglorúmque dissidia componeret, Avenione Mense Decembri in morbum incidit, ac 14. Kalend. Janu. circa horam 9. ætatis Annô 61. Pontificatûs 8. & duobus mensibús fatô functus in ejusdem; Urbis Cathedrali primùm templo sepultus, ac tandem ùt ipse in vivis adhuc jusserat, ad Monasterium S. Victoris Massiliensis translatus est. Vir ingentis animi, nec minoris virtutis, quem Universitas nostra primum cum Rudolpho Archi-Duce fundatorem suum agnoscit, & veneratur. Justis persolutis 14. Kalend. Jan.

 Gar-

Cardinales conclave ingressi postridie elegerunt Petrum Monstrium Rogerii de Malmonte Lemovicensem, Belfortii Comitem in valle oppidi in Regione Andegavorum Diaconum Cardinalem tit. S. Mariæ Novæ. Clementis VI. ex Fratre Guillelmo Belfortii Comite Nepotem. qui die 4. Jan. Presbyter ordinatus, postridie consecratus, & coronatus Gregorii XI. nomen accepit.

Circa annum 1371. alteram divisionem Provinciarum Rudolphum inter & Leopoldum Fratres factam esse insinuat Piespordius, his verbis: *Defuncto Fratre Rudolpho Albertus III. cum Leopoldo aliquamdiu rebus præfuit, ortô autem inter illos Aulicorum causâ dissidiô Provincias inter se diviserunt, ex quibus Alberto Austria, Styria, Carinthia, & Ditiones, quæ inferioris Austriæ titulô censentur. Leopoldo Alsatia & ceteræ ditiones Suevis, & Helvetiis conterminæ cesserunt. Quibus Albertus quinquenniô post Styriam & Neapolim Austriæ cum vicino comitatu Butensi adjecit.* Caussam adfert Lazius Genealog. Austriæ l. 2. pag. 24. & Fuggerus l. 3. c. 9. pag. 352. videlicet Leopoldum, cùm plures jam filios ex Virida Barnabonis Mediolanen. Vice-Comitis Filia Juvenis etiamnum ipse suscepisset, Wilhelmum nimirum, Fridericum, Ernestum, & Leopoldum, de iniqua priori partitione questum esse, bellúmque Fratri minatum, quòd, ut Albertus subterfugeret Princeps pacis amantior, Styriam illi cum Neapoli Austriæ cessit.

Rebus cum Fratre compositis Albertus Anno 1372. ad expugnandum castrum propè Leubs, scilicet Schönberg profectus, quod & cepit, uti & castrum Grueb, Reimperto de Schönberg se Principi submittente unà cum Austriæ Dapifero posterioris arcis Domino. Quæ verò causa obsidendi dicta castra Albertum impulerit, haud satis liquet. Illud solùm ex antiquo quodam Chronico M. S. didici, Schönbergam castrum

Præ-

prædonum tunc aliqamdiu fuiſſe receptaculum, quos perditum iverit Princeps optimus.

Emerſerunt dein Annô 1374. quidam Hæretici in Academia Pragenſi Joannis Huſſi præcurſores, quos inter ferè præcipuus Malleſius Pragenſis Canonicus, qui aſſeruit Antichriſtum jam eſſe natum, in Pontifice verò ſummíſque Cardinalibus nullam pietatem, veritatem nullam ſupereſſe, ſe ſolum, & qui ſibi adhærerent, genuinos Doctores probóſque eſſe, qui facienda docerent: Ex quibus dein initiis ſumpta paſſim libertas obloquendi Romanæ Curiæ, ſensímque Pragenſes Doctores in apertam hæreſim Duce Joanne Huſs prolapſi ſunt, de quo poſterioribus annis plura.

Annô 1375. Albertus III. Archi-Dux Auſtriæ, cùm ante aliquod tempus prima ejus Uxor Eliſabetha Caroli IV. Cæſaris Filia ſine prole è vivis deceſſiſſet, Beatricem, ùt Cuſpinianus in Auſtria ſua meminit, Friderici IV. Norimbergenſis Burggravii Filiam matrimonio ſibi junxit. Ut ad hunc annum refert Fuggerus l. 4. c. 1. ad finem, & Chronicon antiquum n. 5. Teutonicum.

Carolus IV. Romanorum Imperator, quod multo jam tempore contendebat, id tandem Anno 1376. apud Electores Germaniæ Principes ingenti pecuniæ vi effecit, ut Wenceslaus Filius 15. annorum Adoleſcens in Romanorum Regem inaugurraretur magnô Germaniæ malô, ùt Æneas Sylvius Hiſt. Bohem. c. 33. teſtatur. Cujus verba ſubjungo: *Clarus profectò Imperator (Carolus) niſi Bohemici Regni gloriam magis quàm Romani Imperii quæſiviſſet. Illud quoque non parvam nomini ſuo inuſſit maculam, quod Wenceslaum ex filiis ſuis natu minorem in Imperio ſibi Succeſſorem adhuc vivens ordinare conatus eſt, idque pecuniâ. Nam cùm Principes Electores haud facilè ad eam rem trahi poſſent, quod virtute obtinere non potuit, preciô comparavit, promiſſis cuique Electori centum millibus aureis. Quos cùm repræſentare non poſſet, publica il-*

lis Romanæ Reipublicæ vectigalia obligavit, perpetuum Imperii malum. Hinc Romana potestas ad nihilum redacta, nec posthac attollere Imperium caput potuit, cùm Principes Electores omnia sibi retinerent, Imperatorémque Jurejurando adigerent, nè pignora revocaret. Cuspinianus addit favente id cum Cardinalibus summo Pontifice Gregorio factum.

Idem Pontifex hoc anno 1377. Avenione Romam rediens transtulit eam in urbem rursus sedem Pontificiam post annos 70. aut ùt alii volunt 71. Quod tot annorum intervallum Itali Antistitum suorum exilium vocitabant.

Eodem tempore Elisabetha Caroli IV. Imperatoris Uxor, cùm Wenceslaus jam in Romanorum Regem Electorum suffragiis coronatus esset, Sigismundum Filium adhuc puerum in Hungariam misit ad gentis linguam, armorúmque usum perdiscendum, ut enim & huic de Regia dignitate ambitiosa æquè ac sagax mulier prospiceret, cum Elisabetha Hungarorum Regina (nam Ludovicus, qui Poloniæ simul ac Hungariæ summa cum potestate præerat, hærede masculo destituebatur) diu, seduléque egit, ut Sigismundo eadem, & Mariam filiam in matrimonium, ubi adolevisset, & Regnum ipsum aliquando tradendum adpromitteret Carolo IV. Cæsare, ac Ludovico Rege consentiente.

Primus hoc anno præesse Universitati Rector jussus est Joannes de Randegg Constantiensis Ecclesiæ Canonicus, neque enim ante id tempus alium quempiam hoc munus gessisse in actis nostris deprehendo. Credo siquidem Rudolphi præmaturam mortem, fraternásque Alberti & Leopoldi discordias moram diuturniorem perficiendo operi injecisse. Primísque 12. annis donec statuta conderentur & leges à Principe confirmandæ Rempublicam hanc literariam communi Magistrorum autoritate fuisse administratam.

Mori-

Moritur hôc annô videlicet 1378. die 27. Martii Gregorius dolore calculi acutissimo confectus, cujus mors tantò magìs bonis omnibus lugenda erat, quòd maximi omnium, quæ hactenus Ecclesiam perturbaverant, schismatis causam dederit. Romani siquidem plurimùm anxii, nè cum novo Pontifice sedis quoque Romanæ majestas rursus in Galliam transferretur, Purpuratos Ecclesiæ Principes vi ad eligendum eum Pontificem coëgerant, qui perpetuam Romæ summi Antistitis dignitatem vellet. Et verò ingressi ii ipsi Conclave, 7. Aprilis seu pacis studiô, seu depellendi timoris causâ Bartholomæum Butillum Barrensem Archi-Episcopum eligunt de genere Prignano Neapoli ortum, Virum in negotiis pertractandis æquè versatum optimè, atque in Pontificum Jure peritissimum, eúmque 18. Pontificiâ tiarâ insigniunt. Nec difficile fuisset summo Viro datam sibi Cardinalium suffragiis dignitatem tueri, nisi in eos ipsos, quibus acceptæ majestatis gratiam debuerat, rigidior fuisset, eíque minùs providè coram amicis haud satis fidis eæ voces excidissent, reformaturum se brevi Purpuratorum omnium mores. Pertæsi igitur Cardinales constantis, quæ præseferebat rigoris, ubi egrediendi Urbe liberior via dabatur initô priùs inter sese consiliô primùm Anagniam se conferunt vitandi æstûs specie, ac mox Fundos in Urbani Comitis urbem commigrant. Et 13. Kalend. Octobris Robertum Gebennensem Cardinalem Presbyterum tit. 12. Apostolorum à Gregorio priùs creatum novum Pontificem jubent, qui Pontificum cum tiara Clementis quoque VII. nomen suscepit, Avenione deinceps sedem habiturus. Statim electione hac facta tum ab Urbano tum à Clemente missæ ad omnes Provincias literæ, quæ variorum gentium varia quoque studia concitarunt, Gallis Hispanísque huic, illi Germaniâ, utrique Viris doctissimis æquè ac sapientissimis impensè faventibus. Plura qui de hoc gravissimi schismatis ort-

ortu progressúque scire voluerit, Bulæum adeat tom. 4. secul. 6. p. 463. Ego quæ ad rem meam pertinebunt, sequentibus deinceps annis dabo. Id unum subjungere placuit, Purpuratos Ecclesiæ Principes, cur Urbanum verum Pontificem rejicerent, id unum caussatos, vi se ad eum eligendum, metúque populi coactos. Sed refellit præclarè id ipsum Baldus peritissimus Juris Civilis Pontificiique interpres l. 6. Cod. tit. *si quis aliquem*, verbis, quæ citat Bulæus, quæque hic ex eodem subjungo.

Urbanum enim sibi summum videri Pontificem asserit, tum quod iis præfulserit meritis, quæ Pontificatui deferendo absque ulla vi sufficerent, quibus allecti Patres hunc aliis Curiæ Romanæ Prælatis præferre debuerint, tum quod loco summæ sedi velut natali sederet, tum demum, quòd conticescente populi Romani tumultu omnes Cardinales Electores ad Urbanum regressi eum Pontificiis infulis magna excoluerint ceremonia: magnum sanè causa fulcimentum, si enim inviti elegerant, cur in urbem reversi inaugurationis Majestati interfuerunt? si liberè & voluntariè, quæ perversitas cum publico, quæ probavissent, retractare, tum postremò, quòd ritè electionis verbis, his factis, his sententiis omnes replevissent regiones, adeò ut totus ferè terrarum orbis ita sit opinatus Urbanum esse verum legitimúmque Pontificem. Imò ipse Robertus Gebennensis, teste Froisardo, sub recentem Urbani electionem ad Flandrum Comitem & Britanos scripserat eundem consensu unanimi ritéque lectum. Eodem anno è vivis excedentem Gregorium secutus est Imperator Carolus ejus nominis IV. cui in Regnum & Imperium successit filius Wenceslaus.

Hoc Anno Universitati Rector præfuit Conradus Comes de Hochenberg, Clericus Constantiensis Diœcesis.

Anno 1379. Leopoldus Archi-Dux priori Provinciarum, quas ei Frater Albertus cesserat accessione

haud

haud pacatior, novam eidem litem movet, ceterásque ditiones omnes sibi reddi postulat, Austriâ solâ Fratri relictâ: consensit tandem Albertus, eò quod unicus ex Beatrice sibi filius esset, Leopoldo verò jam plurimi, sícque pax firma inter Duces coaluit. Facta est hæc divisio, verba subjungo Haslbachii: *Annô Domini 1379. in Neonburgi claustrali, Dominicâ Michaëlis, in qua divisione subter & supra Anasum usque ad metas Bavariæ incluso castro Styriensi Ischland ab Hallstadt usque ad territorium Salisburgense, & subter descendendo circa metas Styriæ usque ad Ungariam cum omnibus feudis, Angariis, teloneis &c. cessit (id est reliquit eo jure, quo prius possederat) Alberto demptâ novâ civitate cum suis pertinentiis, tam judicio, quàm jure Patronatûs Neunkirchen, Schottvvienn, & Aspach cum suis pertinentiis quæ Duci Leopoldo & hæredibus cesserant. Castra verò tunc impignorata Starhenberg, Pütten, Ternberg, Schvvarzberg, ac Gottenstein venerunt in sortem Alberti.* Subjungit dein idem Autor. *Albertus igitur Austriâ potitus considerans pro Fundatione Universitatis accessisse consensum summi Pontificis, sed fratrem suum morte præventum ipsam ad plenum non ordinasse missis nunciis ad Reverendum Magistrum de Hassia, & Heinricum de Otta sacræ paginæ Professores, & Andream de Khalchar, nec non ad plures Magistros in Artibus, Doctores Juris, Legum, & Medicinæ, accersiri eos fecit, & congrua unicuique secundum suam professionem stipendia ordinavit. Collegium Ducale de tribus domibus cum lectoriis & habitationibus per manum præfati Magistri Henrici erexit, &c.* Ex quo manifestè patet, Henrici de Hassia in Austriam adventum non ante hunc annum contigisse, cùm tamen alii scriptores velint, eum à Rudolpho, Alberto, & Leopoldo Fratribus invitatum jam Annô 1365. Viennam pervenisse. Et verò opinionem Haslbachii haud leviter probat Bulæus in Histor. Univers.

 Pari-

Parisinæ. tom. 4. secul. 6. in Indice Virorum eruditorum, dum de M. Henrico sequentia refert. *Henricus de Langenstein dictus de Hassia Natione Teutonicus Societatis Sorbonicæ, ingeniô præstans, abundans, & diffusus adeò, ut difficiliùs ipsi esset occurrentia animo repellere, quàm nova invenire, ut inquit Trithemius. Pluribus annis docuit in Universitate Parisiensi. Annô quidem 1365. Philosophiam profitebatur, dein ad Theologiam se contulit, & annô 1375. licentiatus fuit cum M. M. Gombaldo Prædicatore, Joanne de Aquino Minorita, &c.* Quæ si vera sunt, manifestè declarant eum 1375. Parisiis adhuc fuisse, nec ante tempus ab Haslbachio statutum Viennæ docuisse. Quin imò doctissimus ille tractatus ab eodem circa Annum 1379. conscriptus, quem Epistolam pacis nominat, citatus à Bulæo, quo persuadere nitebatur, ut ad concordiam ineundam Urbanus æquè ac Clemens sponte Pontificiâ dignitate cederent, litisque decidendæ causâ consilio sese generali subjicerent; haud obscurè indicat eô adhuc annô, quo hæc scribebat, Henricum Parisiis extitisse, cùm cessionis hujus faciendæ ea Universitas una tum omnium prima consilium dederit. Verùm, non minor nunc mihi cum Bulæo ipso lis intercedit. Qui errore lapsum Trithemium asserit, quòd Henricum, se Viennam pro decore novæ Universitatis contulisse, scripserit. Duos siquidem Henricos de Hassia vult Bulæus, unum eúmque Seniorem Wormaciensis Ecclesiæ Canonicum, qui Parisiis in Universitate floruit ultra annum 1390. Alterum Cartusianum Juniorem, qui vixit circa annum 1430. Quos inter se confudisse Trithemium arguit. Verùm acta Universitatis nostræ, résque ab hoc, quo diximus tempore per eum ad Annum usque 1397. gestæ inferiùs à me recensendæ, apertissimè probant seniorem hunc Henricum de Hassia non Parisiis sed Viennæ ultimis seculi quarti annis floruisse. Accedit, quòd Henricus se

ipsum

ipsum in epistola quadam à se data Glericum profiteatur his verbis, quibus eandem inchoat: Reverendo ac præclaro Domino Joanni de Eberstein Camerario Moguntino suus utique Clericus humilis Henricus Langenstein dictus de Hassia, post mundana cœlestia, post Marthæ solicitudinem, Mariæ sororis requiem, &c. Quæ verba, unà cum anno obitûs sui superiùs posito certè evincunt, neque Cartusianum eum fuisse, cum iste seculo sequenti primò floruerit, neque utriusque nomen esse confusum.

Rectorem hoc tempore Universitas nostra habuit Colomanum Kolb.

Hôc annô 1380. Wenceslaus Cæsar literas dedit ad Reges, Principes, Ordinésque Imperii, ut turbatam Pontificum duorum dissidiô Ecclesiam in libertatem omni, quo possent, studio vindicarent, quas literas etiam edidit Huttenus.

Rector Universitatem eodem annô moderatus est Rudolphus Comes à Schaunberg.

Anno 1381. Rectoris dignitatem gessit M. Gerardus Vischbeckh.

Damnati sunt Annô 1382. in Anglia per Concilium Provinciale errores Wicleffi. Cùm enim Gregorius Pontifex ad Universitatem Oxoniensem scripsisset Anno 1377. utì & ad Regem Eduardum, ut Wicleffum, cujus impia doctrina sparsa passim in Scholis tradebatur, & per ora circumferebatur hominum, captum Archi-Episcopo Cantuariensi sisterent; vafer, perditúsque homo, ùt hæretici ingeniô esse solent, Ducis Lancastriæ potissimùm favore, & autoritate fretus, proborum omnium diu conatus elusit. Donec jussu summi Pontificis iterato sistere se tandem, atque ad objecta sibi crimina respondere Archi-Episcopo coactus est, ubi dogmata erronea, quæ priùs sparserat, sua esse negabat, séque Ecclesiæ Pontifi-

cám-

cúmque autoritati ſubmiſit, aut, ut veriùs dicam, ſubmittere ſimulabat. Habito pleniori ſubinde concilio ex doctrinæ illius capitibus notatæ ſunt propoſitiones 24. atque ex illis hæreticæ quidem 9, erroneæ 15. quas datis Concilii juſſu publicis literis Joannes Lincolnienſis Epiſcopus hôc annô damnat. Utì & propoſitiones has Wicleffi, & ipſas Lincolnienſis literas Bulæus refert tom. 4. Hiſt. Univ. Pariſin. p. 456.

Si quis unquam felix Univerſitati huic noſtræ annus fuit, meritò præſens 1384. auſpicatiſſimus eidem cenſendus eſt, quô tot privilegiis aucta, tantíſque Principis Alberti æquè ac Pontificis Urbani VI. favoribus cumulata eſt. Optimus ſiquidem ſcientiarúmque amantiſſimus hic Archi-Dux, ne de ſtudio in literariam rem Fratri Rudolpho videretur concedere, Univerſitatem hanc tot beneficiis proſecutus eſt, ut alter meritò illius fundator dici ſit meritus. Adſciverat ille jam prioribus annis Viros omni eruditionis genere inſtructiſſimos, Aulam Academicam ſcholáſque extruxit. Atque ne quidquam deeſſe Viennenſi deinceps Academiæ videretur, Facultatem quoque Theologicam ac Univerſitatis confirmationem hoc demum tempore ab Urbano ſexto, quem legitimum Pontificem Germania agnoverat, impetravit. Extat diploma hujus Pontificis hac ſuper re datum in Act. Univerſitatis, quod, quia plurima ad ſecuturam hiſtoriam ſcitu neceſſaria continet, ſumma fide hic reddo.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum DEI ad perpetuam rei memoriam.

Dum generoſos palmites, & fructus uberes, quos in domo Domini vitis abundans, & arbor fertilis, Univerſitas videlicet Doctorum, Magiſtrorum, & Scholarium ſtudii Villæ Viennenſis, Patavienſis Diœceſis, retroactis temporibus ad decus & præſidium ſingulare Eccleſiæ militantis & Reipublicæ, ſedulò & amanè pro-

produxit, & continuè producit; volvimus attenta meditatione, & gratâ memoriâ recensemus: existimamus profectò nos non immeritò Debitores, ut Universitatem eandem, sicut indesinenter de bono in melius propagatur, ita præcipuis gratiarum impendiis, & honoribus specialibus decoremus. Firma spe, fiduciáque conceptis, quod, quantò Universitas ipsa pretiosioribus monilibus se contexerit venustam, tantò plures, & excellentiores propagines producere, ac svaviores fructus conabitur enutrire. Dudum siquidem pro parte quondam Rudolphi Ducis Austriæ, exposito felicis recordationis Urbano Papæ quinto Prædecessori nostro, quod ipse Dux non solùm ad utilitatem, & prosperitatem Reipublicæ & incolarum Ducatûs sui Austriæ, sed etiam aliarum partium vicinarum laudabiliter intendens in dicta villa Wiennensi in eodem Ducatu consistente tanquam insigniori, & magis ad hoc accomoda & idonea plurimùm desiderabat fieri, & ordinari per Sedem Apostolicam studium generale in qualibet licita facultate, ut ibidem fides Catholica dilataretur, erudirentur simplices, æquitas servaretur, judicii cresceret ratio, ut intellectus hominum augeretur. Idem Prædecessor præmissa, ac etiam eximiæ fidei & devotionis sinceritatem, quam tam ipse Dux, quàm Progenitores sui Duces Austriæ ad S. Romanam Ecclesiam gesserant, prout ipse Dux gerebat, attentè considerans, & ferventer affectans, quod Ducatus & Villa prædictis scientiarum muneribus ampliarentur, ut viros producerent consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus &c. Refert hic Diploma Urbani V., ac dein subjungit: *Cùm autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti Filii, Nobilis Viri Alberti Ducis Austriæ, Germani dicti Rudolphi Ducis, petitio continebat, post statutum, & ordinationem hujusmodi ipsius Prædecessoris studium generale in prædictis facultatibus in eadem villa introductum, per DEI gratiam felicibus successibus usque ad moderna tempora sem-*

ſemper de bono in meliùs perſeverans, multipliciter auctum ſit, adeò quòd retroactis temporibus multi eximii in eiſdem facultatibus profecti inde prodierunt, & prodeunt cotidie ad magnum decus & præſidium Univerſalis Eccleſiæ, & Reipublicæ, ac ad præſens ſolenne ac frequens exiſtat. Pro parte ipſius Alberti Ducis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ad hoc, quod ſtudium ipſum juxta ipſius Alberti Ducis & ſuorum fidelium in hac parte deſiderium peramplius & perfectius decoretur, quod in eodem ſtudio Theologia publicè legi poſſit, & ibidem in eadem Theologia ſtudentes diſputare, & alios actus ſcholaſticos exercere, ac Baccalaureatûs, & licentiæ, ac Magiſterii honoris & gradus alios in ipſa Theologia recipere, & ad illos promoveri poſſint; prout in Bononienſi, vel Pariſienſi, aut Cantabrigiæ, vel Oxonienſi ſtudiis generalibus in ſimilibus eſt fieri conſuetum, concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſtudium ſacrarum literarum, per quas fides Catholica roboratur, & augetur, & rudes ac indocti perducuntur ad agnitionem veri DEI, accreſcere temporibus noſtris ferventer appetimus: hujusmodi ipſius Alberti Ducis in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, & etiam ordinamus, quòd de cætero in Villa prædicta in eadem Theologia ſit ſtudium generale & quòd ſtudentes, & legentes ibidem in Theologia prædicta omnibus & ſingulis gratiis, im̃unitatibus, prærogativis, libertatibus, & privilegiis conceſſis Magiſtris, Licentiatis, Baccalaureis, ac legentibus, & ſtudentibus in dicta Theologia commorantibus in Bononienſi, vel Pariſienſi aut prædictis aliis ſtudiis generalibus, in quibus, quod hujusmodi Theologia legi poſſit, à Sede Apoſtolica eſt indultum, gaudeant, & utantur. Quódque illi, qui progreſſu temporis Baccalaureatûs ſeu licentiæ aut Magiſterii vel alium gradum ſeu honorem in dicta Theologia meruerint, voluerint, & petierint ſibi elargiri per Magiſtros, ſeu

Magi-

Magistrum facultatis ejusdem præfato Præposito vel Deputato hujusmodi præsententur, ipséque Præpositus vel Deputatus, Magistris in eadem facultate actu inibi regentibus, seu aliàs commorantibus convocatis, illos in his, quæ circa promovendos ad Magisterii seu licentiæ, vel Baccalaureatûs, seu alium honorem & gradum in dicta Theologia requiruntur per se vel per alium juxta modum & consuetudinem, qui super talibus in prædictis Bononiensi, seu Parisiensi, vel aliis generalibus studiis observantur, examinare studeat diligenter, eísque si ad hoc sufficientes, & idonei reperti fuerint, hujusmodi Baccalaureatûs, seu licentiæ, vel Magisterii aut alium honorem largiatur. Illi autem qui in eodem studio dictæ villæ examinati, & approbati fuerint, & docendi licentiam, & honorem seu gradum alium hujusmodi obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examine, & approbatione alia regendi, & docendi tam in villa prædicta, quàm in quibusvis aliis Generalibus studiis, in quibus voluerint regere, & docere statutis consuetudinibúsque quibuscunque contrariis Apostolica, vel alia quavis firmitate vallatis nequaquam obstantibus. Nulli ergo hominum liceat &c. Datum Neapoli apud majorem Ecclesiam Neapolitanensem X. Kalend. Martii Pontificatûs nostri annô sextô.

Acceptis his Urbani literis, suas quoque dedit Albertus, quibus Privilegia à Fratre Rudolpho aliquando concessa non solùm confirmavit, sed & plurimis aliis auxit, quæ quia plurima ex parte cum superioribus consentiunt, editáque sunt à Lambecio l. 2. de Biblioth. Cæsar. c. 5. pauca ex illis duntaxat atque ea quidem, prout antiquis privilegiis recenter ab Alberto adjuncta sunt, hic recensebo:

Libertatibus igitur & privilegiis, exemptionibus, & ordinationibus præscriptis, aliàs præfato studio nostro authenticè concessis, & traditis præsentium vigore innovatis, & cum suis determinationibus, prout supra

supra describitur, approbatis prædictarum 4. Facultatum, videlicet Theologicæ, Juris Canonici, & Civilis, Medicinæ, & septem Artium Magistris, & Studentibus eorúmque servitoribus perpetuo valituris, eidem nihilominus Universitati studii nostri præsenti anno videlicet à Nativitate Domini 1384. de speciali liberalitate domum circa claustrum Fratrum Prædicatorum situatam proprio nostro pretio per nos comparatam, & solutam, atque in Collegium certis dotatum redditibus redactam deputamus, assignamus, ac pro nobis omnibúsque hæredibus nostris, & successoribus irrevocabili dono tradimus distribuendam pro duodecim Magistris Artium, quorum unus sit Baccalaureus in Theologia, atque pro uno aut duobus Doctoribus in eadem facultate, volentes, quòd supra dicti in Collegio præfato, prout decet, vivant ordinatè, & inter se conversentur honestè. Et nè imposterum violenta partium instantia, aut corrupta hominum affectio intrudere possit dicto nostro Collegio personas inutiles; ordinamus; ut quoties ibi locus vacaverit, Theologi, si ibi fuerint, & omnes Magistri conveniant, & tunc Magister Artium, in quem major eorum pars consenserit, recipiatur. Item ad DEI laudem præcipuè nec non nostræ adminiculum salutis instituimus in prædicto Collegio capellam, in qua Missæ dicantur à studentibus & Magistris Presbyteris commorantibus ibidem. Rursum plateam eidem conjunctam domui omnémque stationem, seu negotiationem hactenus in ea solitam fieri, abinde de cætero removemus; ipsum spatium ex nunc ab omni tumultu liberum scholaribus pro deambulatorio deputantes. Cæterùm cogitantes de impletione sancti desiderii pro salute antecessorum nostrorum, & nostra, quatenus quoque Viri scientiis & doctrinis altis prædití saltem spe alicujus certæ promotionis allecti ampliùs provocentur, dictum Universitatis nostræ studium accedere, ibique ad eruditionem fidelium laborare, ordinamus. Quòd deinceps

ceps de octo Canonicatibus, & præbendis Collegii nostræ fundationis in Ecclesia omnium Sanctorum, alias S. Stephani Wiennensi proximè vacaturis, & tunc, & iterum perpetuò totiens quotiens easdem vacare contigerit, disponi & provideri per nos ex successores nostros debeant solummodo pro Regentibus Magistris supra dicti nostri Collegii facultatis Artium juxta tenorem & formam literarum, quas ipsis super hoc assignavimus speciales; & adjicimus ut Magistro Artium aliquo ad Canonicatum & præbendam cum plenaria perceptione fructuum in dicta Ecclesia promoto suum vacet stipendium. Nolumus etiam quenquam Magistrorum Artium in pluribus Collegiis aut locis stipendia possidere. Ampliùs quoque in antiquis scholis ad S. Stephanum Artes liberales etiam publicè legi statuimus per 4. præcipuè Magistros Artium alios à prædictis, eorúmque unum ibidem esse Rectorem puerorum; ipsos etiam 4. solariari perpetuò per oppidanos & communitatem dictæ Villæ nostræ Wiennensis: sic videlicet, quòd illi, qui Rector Puerorum fuerit; annuatim triginta duæ libræ præter accidentia chori S. Stephani, reliquis verò tribus, singulis sedecim libræ Denariorum Viennensium persolvantur. Præterea idem Rector Scholarium S. Stephani gaudeat nihilominus juribus & consuetudinibus præsentandi, aut constituendi Rectorem Scholarium ad S. Michaëlem, & in Hospitali, nec non & quibuscunque aliis eo modo, quo aliàs id fieri est consuetum, dumodo paci & honori Universitatis non derogent prælibata. Idem quoque Rector, nec non aliorúmque Scholarium Grammaticalium Regentes, & scholares omnes, & singuli, qui de Universitatis gremio esse voluerint, juxta modum infra tactum Registro inscribi teneantur, & ita nostris gaudeant libertatibus & privilegiis hic descriptis. Cæterùm ne supra dictis quoque 4. Magistris stipendia Civitatis recipientibus per importunas fortè preces, aut aliàs quomodolibet intrudi valeant futuris temporibus personæ inutiles, sic disponimus,

mus, ut quando unus eorum defecerit, Magiſter Civium ac Conſules Rectoris aut aliorum 4. Seniorum de 4. Nationibus, vel 4. Procuratorum conſilio utantur, de Magiſtro in locum vacantem ſubrogando, & quê prædictis, Magiſtro Civium, & Conſulibus, conſiliô præhabitô, placuerit, iſte debet abſque contradictione aſſumi.

Mandat præterea prædictus Archi-Dux, ut Scholares & Magiſtri venientes ad Studium Viennenſe Rectori ſe ſiſtant, eidem jurent, & dein in catalogum ſtudentium referantur. Tradit etiam Rectori Univerſitatis autoritatem conſtituendi ſibi proprium Judicem pro civilibus cauſis circa ſcholares ſibi ſubjectos. Vetat dein ne quiſpiam Judicum reum inſequendo in Magiſtri vel Baccalaurei alicujus domum ingrediatur. Quòd ſi à Judice Scholaris capiatur, déque eo teſtetur Rector, eum Univerſitatis matriculæ inſcriptum, reddi eundem illico ac ſine mora præcipit. Indulget præterea, ut Univerſitas unum ex illis duobus, quos Dux conſilio oppidanorum ſolet adjungere, eligat in conſervatorem & Executorem libertatum & privilegiorum ſuorum. Obſtringit rurſus Succeſſores ſuos omnes Principes, ut præmiſſa omnia Univerſitatis privilegia integra ſemper inviolatáque tueantur, útque id ipſum initio ſui Regiminis ſpondeant, & adpromittant. Ac demum de ſupplicationibus Cleri Solennibus ſubjungit ſeqentia.

Ordinamus inſuper, quod Proceſſionibus Cleri ſolennibus, videlicet in Feſto Corporis Criſti, nec non funeralibus aut ſuſceptionibus Principum, Rector Univerſitatis unà cum omnibus Magiſtris, Doctoribus, & Scholaribus præſentialiter debeant intereſſe hoc modo, quòd Univerſitas cæteris non miſceatur, ſed à latere dextero Collegii omnium Sanctorum ordinatè procedat, ſic quòd Rector ex æquo correſpondeat Præpoſito dicti Collegii, & conjunctim ſuo ordine incedant Magiſtri,

&

& Baccalaurei singularum facultatum, prout & Parisiis observatur. In aliis autem processionibus Rector S. Stephani loco, & ordine debitis, & consuetis.

Rati habuit hæc Privilegia ab Alberto concessa; eisque subscripsit Leopoldus Archi-Dux. Pilgrinus etsi non nihil tardiùs Archi-Episcopus Salisburgensis; Barones item Austriæ; ac Senatus Civium Viennensium.

His ipsis in Privilegiis cùm 4. Nationum mentio inciderit, de iis quoque ad benevoli lectoris notitiam pauca hæc subjungere placuit. E mente nempe Alberti has quatuor in Nationes Universitatem hanc omnem divisam esse; quarum quælibet diversas Provincias complectitur; ut ex verbis Alberti hìc à me subjunctis patebit.

I. Ordinamus quod omnes Magistri, & Scholares de nostris terris, & Dominiis existentes, annumerentur sub una Natione unà cum sibi adjunctis Provinciis; scilicet Patriarchatu Aquilegiensi, Diœcesi Tridentina; tota Italia, ac cum aliis Provinciis & districtibus Ultramontanis, quam vocari volumus nationem Austriæ; & eam inter cæteras esse primam.

II. Consequenter omnes Bavaros, Suevos, Alsaticos; qui non cadunt sub Dominiorum nostrorum aliquo, nec non etiam Rhenenses omnes ab origine Rheni usque ad locum sui casûs in mare, volumus esse de una Natione; quibus addimus pariter Francones, & Hassones, si qui fuerint de Provinciis inter Franconiam, & Bavariam aliisque superius nominatis, omnia quoque Regna & Provincias versus occidentem & meridiem, ut sunt Francia, Arragonia, Hispania, Navarra, Hollandia, & Brabantia. Hanc quoque vocari statuimus Nationem Rhenensium, & inter cæteras esse secundam.

III. Item omnes Ungaros, Bohemos, Polonos, Moravos Slavos cum omnibus sibi annexis in idiomatibus; Græcos quoque, esse volumus de una Natione, & hanc Ungariæ appellari, & inter cæteras tertiam collocari.

IV. Item omnes Saxones, Westphalos, Frisones, Turingos, Misnenses, Brandenburgenses, Prutenos, Livonienses, Lusatienses, Pomeranos cum Regnis aliis ultramarinis, scilicet Anglia, Ybernia, Scotia, Suecia, Norvegia, & Dania ad unam Nationem statuimus, & hanc inter cæteras esse quartam.

Dedit & hoc eodem anno alias quoque literas Albertus, quibus statuta omnia, quæ Rector cum Procuratoribus senioribúsque Nationum ferenda censuerit, vim legis obtinere decernit: quas etiam hìc reddo.

Albertus DEI gratiâ Dux Austriæ, Styriæ, Karinthiæ, & Carnioliæ, Comes Tyrolensis, &c. Venerabilibus sincerè nobis dilectis Rectori & Universitati Magistrorum, & Scholarium nostri studii Viennensis salutem, & sincerum in Domino animum complacendi. Cupientes fundatione Studii literarum apud nos lucernam coruscantium doctrinarum atque morum laudabilium in salutem omnibus semper adaugeri profectum; intelligimus hoc ipsum minimè posse fieri sine recentibus & rationabilibus statutis & legibus circa modum docendi & vivendi studere volentium. Ea propter desideranter exhortamur, & consultè volumus, ac mandando ordinamus, quòd quid ritè decreverit circa præfati nostri studii dispositionem, & ordinationem in prædictis Congregatio Doctorum, Magistrorum graduatorum, Procuratorum, & aliorum virorum discretorum, quos ultra prædictos Rector causâ consilii decreverit ad congregationem vocandos, censeatur nomine Universitatis factum, & vigorem habere statuti ab omnibus de Universitate inviolabiliter observandi, sub pæna nostræ indignationis, atque publicæ resectionis à nostra Universitate talium transgressorum. Et idem volumus de statuendis à qualibet Facultate cum ejus Decano respectu suppositorum cujusvis determinatæ Facultatis adjicientes, ut singulæ Facultates majori stringantur nexu, & solidiora earum habeantur statuta, & statuenda, quod ipsum dictum Universitatis consilium habeat

beat approbare. Datum Viennæ quinta die Mensis Octobris Annô Domini millesimo trecentesimo octuagesimo quarto.

Ex his hucusque à me adductis advertere velim lectorem benevolum jam à prima sui erectione ab Urbano V. inchoata Universitatem hanc nostram floruisse plurimis viris eruditionis famâ clarissimis, jámque ante confirmationem illius ab Urbano sexto factam Magistrorum Doctorúmque insignia atque dignitatem bene meritis esse concessam collatámque, ut patet ex laudati Pontificis verbis: *Cùm autem, &c. studium generale in prædictis facultatibus in eadem villa introductum per DEI gratiam felicibus successibus usque ad moderna tempora semper de bono in melius perseverans multipliciter auctum sit, adeò quod retroactis temporibus multi eximii eisdem facultatibus Viri profecti inde prodierunt, & prodeunt cotidie ad magnum decus & præsidium universalis Ecclesiæ, & Reipublicæ, ac ad præsens solenne & frequens existat, &c.* Secundò etsi in literis suis Albertus potestatem concedat condendi leges & statuta Rectori cum Procuratoribus ac Facultatibus singulis, haud tamen credendum esse statutis ante id tempus Universitatem caruisse (quî enim literaria hæc Respublica aut regi sine legibus, aut ad tantam famam assurgere potuisset) voluisse igitur solùm Archi-Ducem, ut vel priora statuta sua, si quid in illis minus ritè expensum fuisset, Universitas Facultatésque singulæ immutent, aut novas etiam utiliorésque leges adjiciant. 3tiò Privilegia omnia ab Alberto & concessa, & aucta, & statuta Universitatis propè singula ad Parisiensis Universitatis normam esse concinnata. Quem in finem Parisiensis etiam Universitatis Privilegia quædam ac statuta ex Originalibus excerpta huc delata sunt, quæ in Cæsarea Bibliotheca adservantur, quæ etiam Lambecius in comment. de Biblioth. Cæsar. l. 2. c. 5. p. 241. attulit. Illud demum 4tò observatu di-

gnum censeo, hactenus Magistratum Universitatis annuum fuisse. At ab hoc tempore per nova statuta ita ordinatum, ut in annos singulos bini Rectores Universitati, bini Procuratores Nationibus ac totidem Decani Facultatibus præessent, quorum primus in Festo S. Tiburtii, quod in diem 14tam Aprilis incidit, alter in Festo S. Colomani, 13. scilicet Octobris communibus suffragiis eligeretur. Quare hoc jam Annô duos Rectores Universitatis statuimus, scilicet M. Golomannum Kolb, quemadmodum Proëmium in statuta Universitatis testatur his verbis: *Igitur nos Cholomannus Rector dictæ Universitatis Doctores & Magistri, cæterique ut præscribitur, &c.* Alterum Joannem Plebanum in Mergen Canonicum Viennensem & Pataviensem, statuit quidem Sorbaith. Sed eum primò sequenti annô præfuisse Universitati, Acta facultatis artium antiqua testantur.

Obiit hoc anno Wicleffus pridie Kalend. Junias die S. Thomæ Cantuariensis paralysi percussus, in quem multa blasphema dicere paraverat, tumulatúsque est in paræcia sua Luttlevorá, donec jussu Constantiensis concilii rursus exhumatus, flammisque est traditus.

Anno 1385. coactis per Decanum Dominum Magistrum Stephanum Ecclesiæ in Mosbach Parochum Artium Magistris, nomine Archi-Ducis Alberti Rector Universitatis, qui tunc erat Joannes Mergen Canonicus Pataviensis, petiit, ut Facultas Artium proximè bene de literaria re meritis honorum insignia conferret; illósque ad examen pro licentiatûs gradu obtinendo promoveret. Non renuit facultas voluntati Principis votisque subscribere, verùm quia jam diu lis quædam inter eam, & R. Dominum Præpositum Ecclesiæ S. Stephani Georgium nempe de Liechtenstein Universitatis Cancellarium intercesserat de Magistris constituendis, qui licentiandorum scientiam periclitentur. Hinc Notario publico advocato Facultas protestata est, se hac vice ob reverentiam Prin-

cipis

cipis quidem in certum modum cum Cancellario consensuram salvis tamen privilegiis & jure omni, quod ex Pontificiis sibi literis concessum est. Convenerunt etiam subinde M. Joannes de Ruspach & M. Joannes de Bremis cum M. Stephano de Enzerstorff Facultatis Decano ad viam modúmque excogitandum quo res cum Domino Cancellario componeretur. Quos inter aderat quoque Henricus de Hassia S. Theologiæ Professor, qui cum in hunc modum consensit Decanus, quod nempe, (verba sunt Actorum facultatis Artium) *proxima die Martis Cancellarius tentamen concedat aperiendum, & quod Præpositus Tentatorem ordinet, qui tentatos propriis in personis Facultati artium præsentabit, & postea facultas ipsos tentatos sic præsentatos habet approbare & ulterius ipsi Cancellario recommendare.* Octava dein Maji Examinatores nominati sunt, qui in certa statuta ab iisdem observanda præsente Decano jurarunt, ac tandem probatis jam antea ritè Baccalaureis ultima ejusdem mensis die Dominus Henricus de Hassia Cancellarii vices tum gerens licentiam impertivit, qui primus post confirmatam Universitatem in Facultate Artium collatus honoris gradus fuit.

Mortuo tribus abhinc annis Ludovico Hungariæ Rege, ejúsque rei nuncio in Siciliam delato Rex Carolus cognomento parvus hoc anno in Hungariam movet, qua de causa Mater Elisabetha cum Maria Filia, quæ jam antea Regina ab Hungaris salutabatur pactas olim à Parentibus nuptias cum Sigismundo accelerant. Verùm rebus suis diffidens Sigismundus in Bohemiam recessit. Hinc Proceribus seu metu compulsis, seu conciliatis Carolus in Regem coronatus est, quamvis ùt non nulli volunt malis auspiciis, quæ futuræ calamitatis haud obscura indicia præferebant.

Sequenti hinc annô 1386. cùm jam Hungaros facti æquè sui pæniteret, ac tæderet Regis, à Blasio Forgachio Carolus graviter in capite sauciatus, atque à Nicolao

colao Garo Palatino Seditionis Autore in carcerem detrusus est, ibidémque faucibus constrictis, venenóque admoto oct. idus Februarii interiit. Sed charo mors ea Reginis stetit, cùm enim securiores sui, quàm tempora ea, subditorúmque ingenium admittebat, sine militum manu ad inferiores Regni partes concederent, ab Horvato Croatiæ Præfecto Caroli olim Duce captæ sunt, ac Socii quidem repugnantes ferro enecti, Elisabetha ore obstructo in fluvium, Maria in carcerem missa est. Adfuit tamen haud morâ Sigismundus, qui in Horvatum expeditione suscepta Mariam Reginam Uxorémque recepit, Horvatum verò dignô tanto crimine suppliciô affecit. Vetus quoddam Chronicon ad hunc annum refert sequentia:

Hoc annô Dux Leopoldus Frater Alberti Ducis Austriæ in translatione S. Nicolai interfectus est cum centum & 24. Baronibus, exceptis aliis militibus & servis infinitis apud Turegum in populo, qui dicitur Sweinzer, & est sepultus in Chunigsveld. Eodem annô filius ejus Wilhelmus Dux expulsus est à Krakovia ubi tunc Rex habebatur.

Fusiùs hanc cædem describit Haslbach. Scriptor Synchron. his ipsis verbis: *Interea quidam rustici & populares vocati Suitenses, sui (intellige Leopoldi) naturales, & domûs Austria subditi in valle, montibus, & lacu Lucernensi vallati de paucis villagiis, Cella, Stein, Aldorff, Schwiz, Morbach, quarum Ecclesiarum & jus Patronatûs ad ipsum pertinebat, similiter rebellionem contra ipsum intentarunt, & quadam loca sua temporali ditioni jubjecta in deditionem susceperunt. Quod dum vindicare decrevisset dictus Princeps collectis suis paucis numero, se versus Sembach oppidum recepit. In qua via dum quosdam de Suitensibus comperissent, & eosdem sine ordine aggressi fuissent, prosternentes multos de adversariis, tandem adversariis præfatis prævalentibus lugubrem Princeps audivit clamorem: Retta Ostereich, Retta. Videns quoque flebilem*

suorum

ſuorum caſum, hortatus eſt voce Patria ſuos milites ad aliorum ſuorum ſuccurſum, ad quem dum quosdam lentos conſpiceret, ipſe de equo proſiliens animosè irruit, & venit in hoſtem, ibique utrimque magna virtute certatum eſt in conſpectu plurimorum in equis inſidentium & tandem fugâ lapſorum. Illuſtris quoque Princeps cecidit, & de ſuis militibus ex ſuis nobilibus centum viginti, &c.

Hoc eodem annô Wilhelmus Leopoldi Archi-Ducis filius, cùm eidem à Lituaniæ Duce Jagl nomine, qui dein Ladislai nomen aſſumpſit, & Poloniæ Regnum, & ſponſa Maria Ludovici Hungariæ Regis filia junior erepta eſſet, Viennam venit atque cum Alberto tertio de terrarum diviſione ſuo fratrúmque nomine egit, ut teſtantur literæ, quas ab Haslbachio citatas hìc reddo.

Van erſt, das unſer Herr und Vetter Herzog Albrecht ſich unſer, und Geſchwiſtratt, unſer Landt, undt Leuth Nuz, Krieg, undt aller Geldt-Schuldt genzlich unterwunden, undt angenommen hatt, item das er ſich, und aller Geſchwiſtrat Fürſtenthumb, Land undt Leuth alle inhaben, verweſen, ausrichten, nuzen, und nieſſen ſoll, vollkomblich damit zue thun, undt zue laſſen mag all ſein lebtag: undt ſollen wier, undt unſer Geſchwiſtrat, und all unſer Erben, und unſer Landt undt Leuth, oder ander jemant von unſertwegen, da entgegen kein Widerredt, undt wider treiben nicht haben noch thuen in keiner Weiſe. Auch ſoll er uns undt unſer Brüeder, undt die hochgeborne Elsbeten unſer Schweſter inhaben, und ziechen, und uns mit Heirath verſorgen, nach ſeinen Ehren, undt unſer Würden getreulich als ſein eigen Kinder. Und wan der Allmächtige GOtt gebeuth, daſ er von diſer Welt ſcheide, ſo ſollen Wier Herzog Wilhelm, oder wer dan unſere ehegenanten Vettern Söhn die er hinder ihm laſſet, undt unſern Brudern, der elter iſt, die andre gſchwiſtrat alle, und unſers ehegenanten Vettern, und

unser Kinder Söhn und Töchter, und unser Landt inhaben mit allen ihren Würden, und Gewalten, das sie zue 16. Jahren komen. Es ist auch geredet, wen der hochgebohrne Fürst unser lieber Vetter Herzog Albrecht der jung unsers lieben Vetters Herr Albrechts des ältern Sohn, oder ander desselben Sohn, ob er die hinter ihm lest, zue ihren vollen Jahren komen von unsers Brueder Herzog Leopold, oder von andern unsern Brueder ihr Theil haben wolten, so sollen alle Landtherrn unser Landt beiden halben ihren Fleis undt ihr Bestes thuen; und uns alle weisen, als fern sie mügen, damit wier beidenthalben freundtlich, und beides Theils einander ungetheilt bleiben mögen. Möcht das aber nicht sein, so soll des vorgenanten unsers Vetters Herzog Albrecht des Jungen, oder anders seines Brueders, unser älter Vetter hinter ihm liess, das Landt undt Herzogthumb gefallen zue Ostereich in aller Mass und Weis, als dem jezt bemelten unsern Herrn und Vettern an der Theilung von des obgenanten unsers lieben Herrn undt Vatter Leopold seeligen an der Theilung gefallen ist, nach laut der Theilbrieff darum gegeben, undt destgleichen wan wier, oder unser Brieder einer zue sechzechen Jahren komen, so mögen wir auch unsern Theil fordern nach laut der Theilbrieff, die da ganz sollen unzerbrochen bleiben, und nachdem die Theilung erfordert wird, ganz Crafft haben, undt da ist ausgenomen die Herschafft zue Hochenberg, zue Veldtkirchen, undt zue Leisten, die Herzog Leopold gekaufft hatt, &c.

Licentiandi eodem quoque Anno fuerant Baccalaurei Artium, at quia eadem, quæ priori anno inter Cancellarium & Facultatem lis erat, hinc in consilium vocato Episcopo Frisingensi Bertoldo Wehinger Universitatis hujus Alumno quondam & Magistro in Artibus creato, præsente etiam M. Henrico de Hassia, in hunc modum deinceps servandum ambæ partes convenêre; ut Acta ejusdem Facultatis referunt:

Ut

Ut facultas Artium convocet suos Baccalaureos ad examen præsentandos, & scitis illis, qui se volunt examini subjicere, Decanus cum quibusdam Magistris facultatis nomine accedat Præpositum Studii Cancellarium, & supplicet, ut placeat sibi examen & tentamen aperire, & præsentet sibi illos Baccalaureos ad tentamen. Cancellarius verò eligat de eorum Nationibus 4. Magistros examinatores cum quibus sit Decanus Facultatis Artium ex Officio. Qui 4. Magistri Examinatores cùm de 4 nationibus electi jurare habeant Facultati, quod se habeant fideliter tentando, & examinando, ut in formula continetur.

Dati sunt præterea die 23. Decembris à Rectore Colomano Kolb & ejus Officialibus Magistri, qui statuta facultatum recens condita & reviderent, & approbarent.

Hoc anno 1387, gravis lis orta est inter Facultatem Artium, & Universitatis Rectorem, qui fuit M. Colomanus Kolb, ob studiosum quendam Facultatis Artium, quem Laycorum armata manu è Facultatis Bursa extractum detinuit, nec eum post multas Decani Magistrorúmque in Artibus preces reddere voluit, quin rogatus, ut Universitatem convocaret, quæ communibus suffragiis litem dirimeret, id se facturum negavit. Quare Decanus Artium, qui tum erat M. Ludolphus, ceterarum Facultatum Decanos, Nationúmque Procuratores adiit nomine Facultatis Artium petens, ut quod Rector Universitatis renuit, ipsi consilium Universitatis cogerent, multásque contra eundem querelas proposuit. His verbis, quibus acta Facultatis referunt. I. *Quod licentiam dedit Laico ad quærendum in Bursa scholarium Facultatis, scholarem Facultatis Artium armatis manibus, in quibus videtur fecisse contra Privilegia & Statuta, quæ ipse per Juramentum suum deberet defendere.* II. *Quod secum in judicio utatur aliorum consiliô, & prætereat Decanos & Procuratores, quod iterum est contra unum Statutum*

tutum Universitatis. III. *Quòd incarcerare fecerat prædictum Scholarem Facultatis sine consensu Decanorum & Procuratorum, & non auditis saltem illis, quod iterum est contra statutum quoddam Universitatis.* IV. *Quòd prædictum Scholarem ad instantiam Facultatis dimittere recusavit, licèt ipsa pro eo fide jubere voluisset de stando Juri.* V. *Quòd ob solam contumaciam fecit scholarem hunc incarcerare, qui solùm citatus fuit pro debito unius floreni, qui tunc propter infirmitatem comparere non potuit.* Verùm antequam Universitatis senatus conveniret, à Rectore scholaris ille è carcere dimissus est, sícque pax rediit agentibus aliarum Facultatum Decanis ac potissimum Henrico de Hassia offensos utrimque animos ad quietis studium adhortante. Godefridus tamen de Wila, qui jussu Rectoris armata manu Bursam ingressus est per medium annum ab omnibus Facultatis actibus est suspensus, nisi veniam delicti ab eadem obtinuerit.

Accessit hoc anno partibus Clementis Carolus tertius Navarræ, & Joannes Aragonum Rex. Quare tot Principum in se studiis fretus Clemens concilium cogi generale petiit, in quo suum & Urbani jus decideretur. Sed obstitisse Urbanus VI. dicitur.

Anno 1388. Facultas Artium statuit, ut deinceps tam Magistris, quàm Baccalaureis regere Bursas, & præesse Scholarium domibus fas esset, ea tamen ratione, ut Baccalaurei priùs à facultate regendi Bursas veniam obtineant. Dati sunt præterea novi Deputati, qui ejusdem Facultatis Statuta, ac leges sancitas revideant, antequam ea ab Universitate approbentur, an communibus Universitatis legibus consentiant. Quorum nomina in actis reperio sequentia: Decanus Facultatis Artium M. Georgius Sternberg. M. Bernardus Canonicus ad S. Stephanum tunc Rector Universitatis. M. Stephanus. M. Lambertus, & M. Michaël de Wazia.

Ad

Ad eundem annum Bulæus to. 4. hist. Paris. Univers. pag. 635. refert vel erectam, vel confirmatam esse Universitatem Coloniensem, quamvis multos adducat, qui antiquiorem eam velint. Verùm quidquid alii sentiant, diploma certè Urbani IV. hoc tempore editum non confirmatam, sed erectam eam Universitatem apertè indicat, cujus partem aliquam hìc dabo.

Urbanus Episcopus Servus Servorum DEI ad perpetuam rei memoriam.

IN supremæ dignitatis Apostolicæ specula superni dispensatione consilii licèt immeriti constituti ad universas fidelium regiones nostræ vigilantiæ creditas, earúmque profectus & commoda tanquam Universitatis Gregis Dominici pastor, commissa nobis speculationis aciem, quanto nobis ex alto permittitur, extendentes, &c. (& post pauca) *nos præmissa attendentes, & etiam fidei puritatem, & devotionem eximiam, quam dilecti filii Consules, Scabini, Cives, & communitas Civitatis Coloniensis devoti nostri & Ecclesiæ Romanæ filii, ab olim ad ipsam Ecclesiam, & nos habuisse dignoscuntur, illámque successione temporum de bono in melius studuerunt augmentare, dignum ducimus, & æquitati consonum æstimamus, ut Civitas ipsa, quam Divina gratia multarum prærogativâ bonitatum, & fœcunditate virtutum gratiosè dotavit, scientiarum etiam ornetur muneribus, & etiam amplietur, ita ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diversarum Facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi scientiarum fons irriguus, de cujus plenitudine hauriant universi, cupientes imbui documentis. Præmissis igitur diligenti examinatione pensatis, non solùm ad ipsius, sed etiam Regionum circumjacentium incolarum commodum, & profectum paternis affectibus anhelantes, dictorum etiam Consulum, Scabinorum, Civium, & communis gratiam nostram*

ſtram ſuppliciter implorantium in hac parte devotionis ſupplicationibus favorabiliter annuentes ad laudem Divini nominis & fidei propugnationem orthodoxæ Apoſtolica Autoritate ſtatuimus ac etiam ordinavimus, ut in dicta Civitate Colonienſi ſit de cætero ſtudium generale inſtar ſtudii Pariſienſis, illúdque perpetuè futuris temporibus in ea vigeat, &c. (& rurſus poſt pauca) *inſuper & Civitatem & ſtudium præfatum ob profectus publicos, quos exinde provenire ſperamus, amplioribus honoribus proſequi intendentes, Autoritate ordinamus eadem, ut ſi qui in eodem ſtudio Colonienſi fuerint, qui proceſſu temporis bravium meruerint in illa facultate, in qua ſtuduerunt, obtinere, ſibique docendi licentiam, & alios erudire valeant, ac Magiſterii, ſeu Doctoratûs honorem poſſint elargiri, &c.* (claudit tandem has ipſas literas) his verbis.

Datum Peruſii duodecimo Kalend. Junii Pontificatûs noſtri anno undecimo. Quibus certè è verbis ac toto diplomate, quod videri poteſt apud Bulæum loco laudato, nihil de confirmatione dicitur, ſed omnia non obſcurè indicant recens erectam Univerſitatem. Ut proinde meritò credat Bulæus literas ibidem Diſciplináſque varias floruiſſe, at nondum autoritate Summorum Pontificum approbatas.

Scribunt quoque complures, eodem hoc anno erectam fuiſſe Heidelbergenſem 18. Octobris, ejúſque primum Rectorem 17. Novembris creatum M. Marſilium de Inghenheim. Trithemius tamen ad annum 1386. rejicit, cujus verba ſubjungo. Item Rex memoratus Rupertus antequam ſublimaretur in Regnum, anno Godefridi Abbatis Hirſaugiæ ſexto, qui fuit Dominicæ Nativitatis 1386. Gymnaſium Univerſale in oppido præſcripto Heidlberg inſtituit, fundavit, & copiosè providit, quod Urbanus Papa Sextus conceſſis privilegiis conſuetis approbavit. Cujus Gymnaſii Rector primus & literarii certaminis Inſtitutor fuit, à Schola Pariſiorum rogatu Principis evocatus Marſilius

de

de Ingen. Doctor in Divinis suo tempore multùm eruditus, de cujus elucubrationibus mentionem fecimus in eo volumine, quod de Ecclesiasticis Scriptoribus composuimus &c.

Anno 1389. Romæ 3. Id. Octob. Urbanus VI. Pontifex Maximus (ut habet ejus Epitaphium apud Summontium, citatum à Spondanno ad hunc annum) obiit, postquam Ecclesiæ præfuisset annis undecim, mensibus sex, ac quidem non sine suspicione veneni, à quo sibi, ut caveret, à S. Catharina Senensi monitum eum aliquando fuisse nonnulli Scriptores asserunt. Postridie obitûs Urbani VI. ut Giaconius in Bonifacio IX. Romæ in Basilica Vaticana novemdialibus sacris celebrandis Patres initium dederunt, diéque proximo Missâ Spiritûs S. decantatâ iidem comitium ineunt. Scissa sunt primo scrutino 14. Cardinalium vota, sex Florentino & totidem Poncello Ursino faventibus. Sed restauratis rursus comitiis ad IV. Non. Novemb. eodem hoc anno communibus suffragiis electus est Petrus vel Perinus Tomacellus Nobili, etsi paupere familia Neapoli ortus, qui 3. Id. Novemb. dein cum Pontificiis insignibus nomen quoque Bonifacii XI. assumpsit.

Circa hoc idem tempus Facultati Juridicæ ampla illa domus, quam vulgò Scholam Juristarum dicimus, ex liberalitate Serenissimi Principis Alberti III. Archi-Ducis Austriæ accessit. Confirmata præterea sunt 4.ta Mensis Aprilis eodem anno, emendata, & correcta Facultatum singularum statuta, quæ vim dein legum ex speciali Archi-Ducis privilegio superiùs à me adducto obtinuêre. Revisores eorum dati sunt sequentes, uti in Actis Facul. Jurid. reperi. Ex Facul. Theologiæ Henricus de Hassia, & Henricus de Oyta. Ex Facul. Juridica M. Henricus de Odendorff utriusque Juris Doctor, & D. Joannes Reutter Licentiatus in decretis. Ex Facul. Medica M. Joannes Gallicus de Wratislavia, & M. Cunradus de Schinerstatt. Ex Facult.

Facult. tandem Artium M. Petrus Plebanus in Pilichdorff, & M. Lampertus de Gelria. Contra quæ tamen ſtatuta, quia paulò pòſt à quibusdam Magiſtris Artium haud leviter peccatum eſt, hinc magna eodem anno inter Facultatem eandem, & quosdam Magiſtros diſſenſio orta eſt, quam breviter exponam, Accuſabatur M. Wilhelmus cognomine Anglicus, quòd ſæpius reprehenſus ac monitus, rurſus contra jusjurandum, quod Facultati præſtitit, arcana quædam, quæ in ejusdem conſilio pertractabantur, aliis revelaverit; item quod inſcia Facultate diſpenſârit cum quibusdam Scholaribus de defectibus librorum, quæ diſpenſatio ad ſolam Facultatem ex ejusdem ſtatutis pertinet. 3.iò quod non præmiſſo, ut moris eſt, juramento auſus ſit ſcholares examinare pro Baccalaureatûs gradu. Ac demum, quòd ad conſilium Facultatis venerit occultis armis inſtructus. Quæ quia abundè probata fuerant, Facultas eundem M. Wilhelmum è ſuo conventu excluſit, niſi ſufficienter caverit, ſe pænam à Facultate ſtatuendam expleturum, ſatisfacturúmque eidem de legum contemptu tam gravi támque vario. Promiſerat id omne coram Notario publico M. Wilhelmus, duósque ſecum Magiſtros adduxit, ſcilicet M. Conradum Medicinæ Doctorem, & M. Colomanum Kolb Baccalaureum in Theologia, qui ſtipulata manu ſeſe Facultati obſtrinxerunt ea ratione, ut ſi M. Wilhelmus pœnam ſibi ob delicta infligendam ſubire recuſaret, illi ipſi ab ipſa Univerſitate excludantur, centúmque libras denariorum teneantur perſolvere, quarum pars una Univerſitati, altera Facultatis fiſco tradenda eſſet. Mitigata his Facultas M. Wilhelmum rurſus recepit. At cùm neque is pænam ſubire, nec Fidei juſſores dicti promiſſis ſtare ſuis deinceps vellent, cúmque M. Colomanus palam dicere auſus ſit M. Wilhelmum Anglicum iniquè à Facultate ad pænam datum, hinc uterque ab omnibus Facultatis conſiliis, ejúsque actibus

bus denuò ſuſpenſus. M. verò Conradus ad Rectorem Univerſitatis citatus eſt, ut ad pecuniam, quam ſe perſoluturum ſpoponderat, reddendam cogeretur. Dum hæc geruntur 16. Maji ad conſilium Facultatis Artium venêre M. Henricus de Haſſia, & Henricus de Oytha Theologiæ Profeſſores, & Henricus Odendorff Juris Utriusque Doctor, qui multis precibus egerunt, ut M. Wilhelmo, & M. Colomano Kolb pænam, aut partem ſaltem illius Facultas remitteret. Cúmque ad id ipſum Reverendiſſimi Friſingenſis Epiſcopi preces acceſſiſſent, Facultas tandem iis ipſis tribus Doctoribus ſuos quoque Magiſtros aliquot adjunxit, qui negotium hoc omne pleno jure pertractarent, à quibus & res omnis ſtrenuè confecta eſt, ùt ſequenti anno referam. Nomina verò eorum, qui ad hoc per Facultatem delecti ſunt, in Actis reperio ſequentia: M. Joannes de Premis, M. Henricus de Treyſa, & M. Nicolaus Hoëuhartzkirchen.

Die 13. Junii M. Joannes de Gallia Rector & Medicinæ Doctor Univerſitatem coëgit, ad ſtatuendum modum ac ordinem in ſupplicatione publica ſervandum, quæ ex præſcripto Alberti Archi-Ducis annis ſingulis in feſto Theophoriæ ab Univerſitate quoque facienda erat, & concluſum eſt in hunc modum.

Ut primi poſt vexillum irent Baccalaurei in facultate Artium cum ſuis Scholaribus. Dein Baccalaurei Medicinæ cum ſcholaribus. Dein Baccalaurei in decretis cum ſuis ſcholaribus, Dein Baccalaurei Theologiæ cum ſcholaribus ſuis. Hinc Magiſtri in artibus cum ſuis licentiatis. Hinc Doctores Medicinæ cum ſuis Licentiatis, dein Doctores juris pariter cum ſuis licentiatis, ac demum Doctores Theologiæ cum ſuis licentiatis, quibus Doctoribus ſtatim deberent adjungi Nobiles, Illuſtres.

Concluſum quoque in eodem Univerſitatis conſilio fuerat, ut mittatur Rotulus ad Romanam curiam,

 útque

atque à novo Pontifice novi quoque favores ac privilegia Universitati impetrentur, ac præcipuè Bulla, per quam fructus omnes & proventus Beneficiorum Ecclesiasticorum Universitatis hujus Magistris & studentibus percipere liceat. Verùm hoc non nisi sequenti anno perfectum est, ut inferiùs patebit.

Hoc anno 1390. causa Rotuli plenè expedita est, primúsque Rotulus ad curiam Romanam missus, eo, quem subjungam modo. Cùm enim disceptatum diu esset, an communi nomine Universitatis ejúsque expensis mittendus esset cum Rotulo Nuncius, qui omnium Facultatum negotia Romæ ageret, an verò singulæ Facultates singulos nominarent, suísque mitterent sumptibus, qui omnes Universitatis quidem communi studio, singuli tamen singularum Facultatum res agerent: Juridica & Medicorum Facultas ad primam potissimùm partem, Theologica verò & Artium ad postremam propendere videbantur. Sic divisis studiis cùm concludi nil posset, litis Arbiter Dominus Frisingensis Episcopus est nominatus, qui auditis utriusque partis rationibus ita statuit, ut Acta Univ. referunt.

I. *Quod Facultates volentes, & potentes mittere, mitterent nuncium vel nuncios, ad ipsarum voluntatem.* II. *Quòd illi iidem Nuncii esse deberent, & censeri Nuncii communes Universitatis & quod Universitas describeret officium & juramenta eorum, & ab eis reciperet, antequam arriperent iter ad Curiam Romanam.* III. *Quòd si esset aliqua Facultas vel Facultates, quæ nollent, vel non possent mittere Nuncium, quòd illa libera esset adjungere se cuilibet aliarum Facultatum, & quòd receptam pecuniam à suppositis suæ Facultatis eidem Facultati, cui se adjunxit præsentaret.* IV. *Quòd qualibet Facultas mittendis suis Nunciis singulariter provideret de expensis suis, quod erit opportunum.* His sic peractis delecti sunt in rotulatores, de 4. Nationibus, quorum quilibet à membris Nationis suæ pecuniam

pro

pro Nuncio mittendo colligeret, eorúmque nomina Rotulo inſcriberet, eíſque ſequentia prælecta ſunt, in quæ jurarent.

I. *Quòd à Magiſtris, Baccalaureis, & Scholaribus ſine dolo, & fraude pecuniam diligenter colligent, & obſervabunt ad bonum uſum Facultatum pro rotulo aut aliàs, ſi quas ad manus ipſorum contingat pervenire.* II. *Quòd non permittant alicujus Baccalaurei aut Scholaris ſuppoſitum rotulo inſcribi niſi præſens ſit. Si præſens fuerit, recipiant ab eo vel nomine ipſius duos florenos, ſi abſens fuerit, tres florenos, aut æquivalens, niſi fors ipſa facultas de prædicta rotulatione aliquem vel aliquos voluerit habere ſupportatos, & illos nominatim, & expreſsè duxerit ipſis aſſignandos: item quod pecuniam receptam ſic exponent ſine dilatione ad mandatum Facultatis, cùm fuerint requiſiti. Item, quod non exponant prædictam pecuniam ad propriam utilitatem, aut ad mandatum cujuscunque, niſi interveniat mandatum ſive bona voluntas Facultatis.*

Item quandocunque nomine Facultatis ad faciendum computum fuerint requiſiti: quòd tunc infra tres dies proximè ſequentes faciant rationem prædictam Facultati de omnibus, quæ expoſuerunt, & receperunt.

Conditi ſunt præterea certi Articuli in quos jurare debebant Nuncii, priusquam Romam diſcederent, ſúntque, uti in actis Facultatis Artium deprehendi, ſequentes.

I. *Quòd pecuniam à Facultate receptam exponant duntaxat in Facultatis ipſorum Ambaſſiatam concernentibus. Item quòd quilibet eorum in ſolidum ad expeditionem rotuli laboret, & ſi, quòd abſit, contingeret, aliquem ipſorum quacunque occaſione in via, vel aliás deficere, alter vires deficientis ad honorem facultatis ſuppleat in ſingulis rotuli expeditionem concernentibus, & rationem de perceptis & expoſitis reddat, nec in tali caſu ſuperſtes plures quàm unum habeat ſervos, ſicut & quemlibet eorum præcisè uno ſervo expenſis Facultatis volumus contentari. Item quòd de*

pecunia recepta & recipienda pro eorum Ambassiata infra mensem post ipsorum reditum faciant Facultati rationem, & superfluum, si quod fuit, restitutione infra eundem mensem facta ad arcam facultatis imponatur. Si autem unanimi consensu, & ordinatione Nunciorum Universitatis aliquis de nunciis Facultatis deputaretur pro Universitatis & rotuli factis in curia expediendis, reliqui redeuntes faciant rationem de perceptis & expositis, ut dictum est. Idem volumus, si alicui ipsorum post expeditionem sua Ambassiatæ in factis suis propriis in curia contingat remanere. Item jurabunt, quod in negotiis eorum propriis expediendis, aut aliis sine rationabili, & legitima causa se in via non arrestent, aut aliquantulum tardent, sed accepto itinere dietas communes, & solitas peragant. Item nullus eorum pro vestitu ultra 32. florenos exponat. Si quis autem ipsorum sumptuosiùs voluit vestiri, de propriis impendat.

Abiêre subinde ineunte, ut quidem suspicor, Februario Nuncii, inter quos (nam reliquorum nomina reperire non poteram) fuit M. Franciscus Medicus. M. Gerardus Canonicus ad S. Stephanum, & M. Lambertus Nuncius Facultatis Artium, qui duo postremi mense Julio Viennam redierunt, de progressu rotuli eóque proximè expediendo certiorem Universitatem reddentes, statímque iis auditis de nova colligenda pecunia deliberatum est, qua literæ Pontificis, novos favores & Privilegia continentes celeriùs expediri, & obtineri Romana à curia possent.

Verùm cùm per sequentes annos sæpiùs Rotuli facienda sit mentio, nè Lectorem illius imperitum relinquam, útque errorem Ederi in Catalogo Rectorum admissum detegam; qui Rotulum nil aliud quàm Sessionis & Processionis ordinem volunt, haud inutile duxi de eo pauca hæc subjungere. Erat nempe Rotulus nil aliud, quam Catalogus selectorum Virorum Universitatis, conscribi quot annis ferè solitus mittique

per

per nuncios ad Summum Pontificem pro beneficiorum Eccleſiaſticorum impetratione, juxta eum ordinem, ſecundùm quem conſcripti fuerant. Originem verò hujus Bulæus. to. 4. hiſt. Univerſ. refert ferè ſequentibus: Alexandrum 3tium Doctorum quidem virorum Catalogum ſibi perſcribi mandâſſe per Petrum Cardinalem S. Chryſogoni. At Joannis XXII. tempore, qui ſedere cæpit Anno 1316. & ſedit ad annum uſque 1332. Rotulorum conficiendorum conſuetudinem invaluiſſe: licèt enim olim Pontifices viros doctos nonnunquam promoverent, non id tamen fiebat certa quadam ratione, & ordinaria. Cùm ipſi beneficiorum abſolutam nòn haberent collationem. Bonifacius VIII. uſurpare ſibi voluit jus ejusmodi, non tamen potuit. Joannes quod inceptum ab iſto fuerat, perfecit. Ab ejus igitur tempore Pariſiis conficiebatur Rotulus ſeu Catalogus nominandorum. Primis quidem temporibus ſub initia tantùm Pontificatûs alicujus recenter promoti ad Papatum; dein ſingulis bienniis, poſtremò quotannis, aperiebatúrque communiter menſe Decembri, & claudebatur ſub finem Martii ſequentis. Ad eum verò conficiendum ſic procedebatur.

Primò ſingulæ Facultates, & nationes deligebant è ſuis Ordinatores Rotulorum duos, aliquando tres, nonnunquam etiam quatuor, quos in ſui receptione jurare jubebant, ſe magiſtrorum catalogum conſcripturos, & ordinaturos ex conſcientia ſua, nec indignos dignis præpoſituros. 2.dò illi ſic inſtituti ordinabant Magiſtros in Rotulo ſecundùm eorum antiquitatem, Regentiam, & præſentiam. Qui in gradu antiquiores erant, qui Regentes, qui præſentes, ceteris præferebantur, niſi aliquid obſtaret. 3.tiò confectum Rotulum ſuæ quilibet facultati, aut Nationi præſentabant, approbariſque & confirmari petebant. 4.tò Relecti & approbati Rotuli obſignabantur ſigillis ſuarum quique Facultatum, & Nationum.

 5.tò

5.tò his ita confectis, Nuncii seu Portitores singulorum Rotulorum designati præstituta die proficiscebantur, non tamen absque consensu totius Universitatis. Qui mos, cum Parisiis diu ante receptus esset, ad nostram quoque Universitatem dein cum Privilegiis illius traductus est, ùt ex prioribus â me relatis colligi poterit.

Expeditô, confectôque Rotulo lis quoque inter Facultatem & M. Colomanum Kolb componenda fuerat. Quare Dominica post Festum Corporis Christi ad congregatam Facultatem Artium venit M. Henricus de Hassia rogans, obtestánsque, ut Facultas rursum in suum consilium recipiat M. Kolb, retulítque judicium Frisingensis Episcopi, qui arbitrabatur, quod causa hucusque inter M. Wilhelmum de Anglia & Facultatem agitata sopiri debeat. Enumeravit præterea plurima beneficia, quæ in Universitatis emolumentum M. Colomanus contulisset, atque etiam satis graviter eum punitum fuisse innuebat, quod vir non semel Universitatis Rector tanto tempore â Facultatis consiliis exclusus, ejectúsque fuisset. Censuit Facultas tanti viri precibus indulgendum esse aliquid, atque Magistrum Colomanum rursus in suum senatum admittendum, eo tamen adjecto onere, ut statuto die M. Colomanus cum M. Henrico de Hassia veniat, errorésque suos palàm deprecetur; at cum ille comparere renuisset, negotium omne infectum remansit. Statuit etiam Facultas Artium, ut deinceps Disputatio quodlibetica â seniori in Artibus Magistro in annos singulos habeatur, mulctâ etiam iis decretâ, qui ordine ætatis & senii ad eam faciendam requisiti onus id assumere detrectaverint.

Duodecima Octobris rursus coacta fuit Universitas per M. Hermannum Lurz ejusdem tunc Rectorem, gravésque propositæ querelæ contra Judicem Civitatis, & Cives aliquos, qui, nescio quo furore concitati, postes perfregerunt bursæ cujusdam studenti-

um

um, atque ex illa Scholares aliquos per compita & forum vinculis oneratos in carcerem raptarunt, nec reddere eosdem, etsi â Rectore admoniti voluêre, quin imo quod innocuum quendam studiosum, ad infame spectaculum hoc accurrentem, eorúmque è manibus ceteros liberare volentem, fallente vestigio prolapsum (glacies námque tum erat, viæque lubricæ) multis vulneribus Judice minimè id facinus prohibente trucidaverunt. Quæ, cum juribus ac privilegiis haud parum repugnare videbantur, missus est ad Principem Albertum, ac Dominum Frisingensem Episcopum Rector cum aliquot gravibus viris, nomine Universitatis rogaturus, ut autoritate sua audaciam civium reprimerent, atque Universitatis jura deinceps 'inviolata, integráque tuerentur, quod & deinceps abunde est præstitum.

Anno 1391, novæ dissensiones inter Capitulum Viennense, & Facultatem artium concitatæ sunt. Licentiandi fors erant Baccalaurei; At, quia præpositura tum vacabat, hinc ex Urbani VI· privilegiis Universitati concessis Canonicorum Capitulum ad id munus obeundum Decanum suum delegerat. Ille visis Baccalaureis 4. Examinatores quidem nominat, sed prætenita, neglectáque Natione Saxonica alterum ex Austriaca substituit. Hæc magna causa visa est, ob quam tanto dein tempore inter utramque partem litigaretur. Missi præcipui Facultatis viri non semel, qui Decanum, & Capitulum Canonicorum in meliorem partem flecterent, missi qui Theologiæ Doctores, ac præcipuè M. Henricum de Hassia, & Henricum Oyta consulerent. Minæ intentæ etiam, nunquam Facultatem Artium Baccalaureos suos hoc pacto ad Licentiatûs gradum admissuram. Sed irrita cecidêre omnia Decano sua in sententia persistente. Tandem suadente rursus M. Henrico de Hassia, & quia Facultas nullum in Natione Saxonica Magistrum actu Regentem habuit, hac vice examen Licentiandorum se admis-

 suram

furam spondebat, salvis tamen juribus omnibus, quæ integra se velle semper, nec hoc pacto ulla ratione amittere, ac violare coram Notario publico testabatur, adjecta simul conditione, si nempe in certum deinceps modum eligendi Examinatores Licentiandorum Dominus Præpositus consentiret. Nihil tamen in hoc negotio perfectum esse posterior annus ostendet. Statuit præterea Facultas Artium, ut, cum tot, támque varii libri legendi essent, Magistri ejusdem libros deinceps sorte caperent, ea quidem ratione, ut quem primum sors tetigerit, ei quem vellet librum, sibi deligere, fas esset.

Anno 1392. Facultas Artium â novo Præposito Antonio id demum obtinuit, ut se in Examinatoribus Licentiandorum constituendis deligendísque Privilegia Facultatis veterémque consuetudinem observaturum sponderet; verùm cum 6. Februarii eidem Baccalaurei sisterentur, dati quidem ab eo 4. Nationum Magistri sunt, qui Licentiandorum scientiam periclitarentur, at quorum unus actu Regens in Artibus non esset. Obnitebatur electioni huic Facultas fortissimè, nec Examinatores ad juramentum consuetum admittere voluit, causata, id præter veterem morem factum, nec in aliis unquam Facultatibus admissum, verba quoque Urbani VI. in Diplomate confirmationis adduxit, quibus jubet, ut Præpositus convocatis magistris Regentibus examinari ad magisterii gradum promovendos curet, è quibus id effici arbitrabatur non alios, quàm actu Regentes ad Baccalaureos examinandos admitti oportere. Obfirmatô nihilominus sua in sententia Præpositô, res ad Rectorem, qui tum M. Marguardus de Randegg Eystettensis Canonicus erat, deducta fuit, rogatísque Magistris & Doctoribus Theologis ad id potissimum adlaborabat Facultas Artium, ut causam communem cum aliis quoque Facultatibus faceret. Et verò accrevissent vehementiùs discordiæ, nisi denuo M. Hen-

Henricus de Hassia multis precibus mitigâsset Facultatis Artium Senatum, eóque rem deduxisset, ut Facultas hac una & sola vice se ex singulari solùm in Præpositum reverentia, & favore electionem Examinatorum ejusmodi, salvo semper inviolatôque jure suo coram Rectore, aliísque testibus, atque præsente etiam Notario publico admissurum protestaretur.

In actis quoque Universitatis hoc eodem anno reperio literas è Curia Romana missas, quibus plurima privilegia Universitati nostræ à Summo Pontifice concessa sunt.

Hoc eodem anno Universitas Erfordiensis in Turingia erecta est teste Bulæo, cujus rationem adfert Trithemius sequentibus verbis Tom. 2. Chron. Hirs. fol. 295. *His temporibus Gymnasium universale, quod noviter ante paucos annos in civitate Francorum orientalium Herbipoli fuerat institutum, propter dissensiones continuas, quæ inter cives, & Episcopum vertebantur, valde cæpit debilitari, unde consiliô inter se habitô Magistri, atque Doctores de translatione ad Erfordiam Moguntinæ Diœcesis oppidum Romani Pontificis impetravêre consensum, unde mox ab eo tempore Bonifacio Papa IX. annuente domus in Erfurd pro susceptione Scholasticorum comparari, & ædificari cæperunt*, (& post pauca) *de causis verò desolationis memorati Gymnasii Herbipolensis sic quidam eo tempore dixit:*

Balnea, census, amor, lis, alea, crapula, clamor
Impediunt multùm Herbipolense studium.

Sed à malevolo nempe hæc dicta fuisse arbitror, nunquam enim, uti virtuti, ita & literis hostes desunt ac æmuli.

Idem Autor fol. 34. universale hoc studium antequam Erfordiam transferretur per quatuordecim ferè años Herbipoli ab erectione sua durâsse asserit. Ex quo patet ejusdem prima initia Herbipoli jacta ad annum 1378. fuisse.

 Con-

Continuatæ sunt hoc anno 1393. priores inter Cancellarium, & Facultatem Artium discordiæ, cùm ille quidem non nisi Regentes in Examinatores se delecturum assereret, at ex sola in Facultatem benevolentia, nullo, ut isthæc volebat jure prætenso. Hinc tota rursus causa ad Universitatem, Rectorísque consilium deducta est, statímque à Rectore missi sunt primarii aliquot Universitatis Viri, qui Cancellarium adhortarèntur, ùt è veteri more, Decessorúmque suorum è consuetudine Regentes deinceps ad periclitandos Baccalaureos Artium deligat, aut ut unà cum Facultate Romam nuncium mittat, ad declarandam Bullam Urbani VI, quam utraque pars tanquam sibi faventem opponebat. Cancellarius clara se Bullæ verba, sensúmque habere, nec Romam se ejus declarandæ causâ missurum dicebat, ac præproperè Viennâ discedens, longiùs extra urbem moratus est. Quare & absente illo Facultas quoque haud mittendos ad Pontificem nuncios censuit, suadentibus id maximè aliarum Facultatum Doctoribus, ac opem suam laborémque omnem promittentibus, ut Cancellarius, ubi redierit, in certum modum Facultati placentem consentiret.

12. Junii coactus rursus est Universitatis Senatus ad audienda nova Statuta Alberti Archi-Ducis, quæ actis inserta reperi, súntque sequentia.

Civica ratio suadet, jus ac æquitas exposcit, leges Divinæ & humanæ: ut filii Parentum obtemperent imperiis discretorum, & Discipuli in perplexis eorum causis, & negotiis suorum auxilia amplexentur magistrorum, à quibus non solùm doctrinam, sed & laudandæ conversationis formam habent recipere; hinc est, quod providere cupientes supplicationi nostræ Universitatis in Processibus causarum, & minus cautis & expertibus in prosecutione injuriarum impertinentioribus, nec non protervis, & discolis vias præcludere volentes, vexandi Laycos frivolè ac inconsultè variis impetitionibus, ac citationibus de Judice ad judicem, & ce-

ceteris tadiis hujusmodi, de quibus sæpe nostra universitas displicentias habuit, statuimus singulariter pro pace Universitatis, & bona tranquilitate Civium, ac totius Dominii Austriæ, quod nullus Magister, vel Scholaris dictæ Universitatis in quacunque causa trahat aliquem de prædicto dominio in judicium extra Dominium Austriæ, nisi requisita priùs super hoc Universitate, & ab ea obtinuerit licentiam ita faciendi. Item quòd Rector Universitatis quotiescunque receperit Magistrum, vel Scholarem ad Universitatem, faciat eidem hoc jurare. His auditis & lectis conclusum est hoc Principis mandatum non esse promulgandum, sed summa cum reverentia informandum eum esse, quod ejusmodi haud esse videantur pro dignitate atque emolumento Universitatis.

Eodem anno errores Wicleffi penetrasse in Germaniam dicuntur, submissi enim ab Oxoniensi Universitate libri pestilenti hoc veneno plenissimi Pragam delati sunt, quorum lectione delectati Magistri Pragenses hæresim avidè & hauserunt & sparserunt, inter quos primus eminuit Joannes cognomento Huss, vir disertus, ut Brietius loquitur, neque in speciem malus, & ad propagandam hæresim vel etiam promovendam aptissimus.

Anno 1394. per Universitatem Parisiensem tollendi tam diuturni Schismatis tres viæ sunt propositæ, Cessionis, compromissionis, aut Concilii Generalis, quas inter ceteros Parisienses Doctores Nicolaus de Clamengiis in Epistola ad Carolum Regem Francorum data tanquam maximè opportunas suadet. Quæ Epistola etiam citatur à Bulæo tom. 4. Hist. Paris. Univers. pag. 696. hæc Universitatis Parisiensis contra se studia cùm non ignoraret Clemens, furore primùm, tum & mærore contabescens ex apoplexia Avenione vivere desiit die Mercurii 16. Septembris, sepultúsque in Ecclesia Cælestinorum ad Pontem Surgiæ. Ut Ciaconus in Clement. VII. & Benedicto XII. refert. Audita Clementis

mentis morte Carolus Rex atque Universitas Parisiensis literas ad Cardinales Avenione congregatos dedit, nè novum crearent Pontificem, sed cum Romanorum Cardinalium Collegio ad tollendum Schisma, & reddendam Ecclesiæ pacem animis votísque jungerentur. Verùm nihil impetratum, præterquam, quod Cardinalis Conclave ingressurus jurârit quilibet, se, si designaretur, Pontificiam dignitatem renunciaturum, si id ipsum Bonifacius Romanus facere paratus esset. Igitur illo die Sabbathi conclave ingressi, sequenti die Lunæ, quæ erat 28. Septembris Petrum Cardinalem de Luna Arragonium nobilissimâ familiâ natum, utriusque Juris peritissimum eligunt, & sacrâ tiarâ 5. Idus Octobris insigniunt, qui Benedicti dein XIII. nomen suscepit.

Per hoc confirmatæ Universitatis nostræ decennium ab Anno scilicet 1384. floruêre hic præter jam sæpius à me nominatos, Viri sequentes. Henricus de Woldonis de Mediolano, Medicinæ Doctor præstantissimus. Joannes de Venetiis insignis Juris-Consultus & Professor ordinàrius, literis præterea & bonis artibus hic imbuti sunt Dominus Albertus Princeps in Anhaldt, Comes Ascaniæ, Gebhardus Comes de Mansfeld Canonicus, & Thesaurarius Magdeburgensis. Wilhelmus Comes de Montfort, Paulus de Polhaim Canonicus Pataviensis, Joannes Dominicus de Scharffenberg Can. Pataviensis, Joannes Comes de Zigenhaim Mogunt. & Trevir. Canonicus, Dominus Guntherus de Ryffenberg. Mogunt. & Spirens. Canonicus, Hartmannus Comes de Kyburg, Dominus Nicolaus Episcopus Warnen. Suffraganeus Pataviensis.

Annus hic 1395. funestissimus Austriæ ac luctuosissimus Universitati nostræ literatisque omnibus fuit ob mortem Alberti III. secundi Archi-Gymnasii hujus Fundatoris, qui in arce Laxenburgensi die decollationis S. Joannis Baptistæ piissimè, ut vixit, obiit, Viennæque in Ecclesia S. Stephani in Archi-Ducum Crypta à Ru-

à Rudolpho Fratre constructa sepultus est, magnus sanè literarum omnium Fautor, quod paucis ante mortem horis comprobavit, cùm Filium unicum Albertum scilicet IV. ad se evocatum admoneret solertissimè, Universitatem à se & Fratre Rudolpho conditam ut in amoribus haberet, Magistris annua decerneret stipendia, eam Privilegiis augeret. Referunt hujus Archi-Ducis mortem ad præsentem hunc annum Haslbachius, & antiqua manuscripta alia, tum verò præcipuè Acta Universitatis, & Acta Facultatis Artium diligentiâ summâ à Decanis singulis, qui eo tempore præfuerant, conscripta. Unde meritò erroris arguendi sunt Gerardus Roo, qui anno 1390. Piespordius, qui anno 1389. Cuspinianus, qui anno 1398. Lazius, qui anno 1397. eum è vivis excessisse volunt. In meum ipsum libellum, quem uno ab hinc anno de memorabilibus Ecclesiæ S. Stephani vulgaveram, errorem illapsum esse non diffiteor, Typographi nempe incuriâ, qui in descriptione Gryptæ Archi-Ducum ad urnam Alberti numero uno interjecto pro MCCCLXXXXV, annum dedit MCCCLXXXXIV. qui error facilè oculum fallere potuit.

Audita optimi Patris sui morte Universitas à Rectore M. Colomano Kolb de Propstorff convocata est, ad deliberandum de modo ac ratione accedendi Successorem Principem juxta Privilegium Albertinum eidem Universitati indultum, quo monentur Mag. & Doctores ejusdem, ut succedenti in Ducatum novo Principi se ac literariam hanc omnem Rempublicam commendent, petántque, ut ejusdem Privilegia more majorum ac Decessorum suorum & tueri & augere suis favoribus deinceps velit. Sed dilatum tantisper eum Principis accessum fuisse in Actis Facultatis Artium invenio, eò quod etiamnum ignoraret Universitas, quis in Alberti Jura, Austriæque Dominium succederet. An Albertus IV. Alberti III. recens defuncti, an verò Wilhelmus Leopoldi III. Filius.

Hoc-

Hoc eodem anno ſtudio ac labore Domini Doctoris Marchardi Draudens è Curia Romana nova Univerſitatis, ejusdémque Privilegiorum ac Statutorum confirmatio eſt impetrata.

Eodem quoque tempore lis diuturna inter Facultatem Artium, & Mag. Colomanum Kolb pro tunc Univerſitatis Rectorem plenè terminata eſt, & compoſita, ope potiſſimum M. Henrici de Haſſia, qui Magiſtrum Colomanum ad Facultatis conventum induxit, multíſque precibus inſtitit, ut eum tam diu è gremio ſuo excluſum, ob tot præclara in Univerſitatem merita rurſus benignè ſuſcipiat, inque conſilium ſuum admittat. Quibus Viri tam inſignis precibus mota Facultas dicto M. Colomano Kolb veniam errorum omnium lubens indulſit, cúmque à pœna omni abſolutum denuo in Senatum ſuum adlegit.

Cùm jam diu in negotio tollendi Schiſmatis, unionìsque in Eccleſia reducendæ deſudâſſent ſumma Univerſitatis Pariſienſis ingenia, literáſque eadem ad diverſas Europæ Univerſitates hujus concordiæ ineundæ causâ dediſſet, hoc quoque anno Pariſienſes Nuncii cum ejuſdem Univerſitatis literis ad Academiam noſtram venêre, quibus quidem literis Viennenſes Magiſtros omnes, ac Doctores ſummè hortabatur, ut ad graviſſimam hanc Eccleſiæ labem, peſtémque tollendam operam omnem ſtudiúmque conferrent. Lætabatur haud parùm inſpectis perlectíſque his literis Univerſitas noſtra, plurimúmque præclarum hunc Pariſienſium Doctorum conatum laudavit, ac multas ſe iis debere gratias profeſſa eſt, quod in tam pii ſanctique laboris ſocietatem partémque vocaretur. Nec inter verba res ſtetit. Miſſa proximis diebus de S. Spiritu ritu ſolenni decantata, præſentibus Univerſitatis Magiſtris, Doctoribúſque omnibus. Miſſique ſubinde Viri eruditione clariſſimi ad Principes (Albertus enim & Wilhelmus Archi. Duces Auſtriam ſimul rexêre, & Albertus quidem ſub Wilhelmi tutela juxta compactata ſuperiùs

riùs

riùs à me adducta ad annum ſcilicet 1386.) qui eos hortarentur, ut toto conatu ad promovendum unionis hujus negotium incumbant, viámque ceſſionis, aut quam aliam opportuniorem ad id Univerſitas noſtra indicârit, amplectantur. Auditi ſunt benevolè à Principibus Magiſtri, eisdémque re priùs cum Conſiliariis probè diſcuſsâ in hunc modum eſt reſponſum, prout in actis reperi: ſcilicet *quod Principes Ceſſionis modum, quem Rex Franciæ, & Univerſitas Pariſienſis commendabiliter propoſuit, velint Domino Bonifacio Papæ ſignificare, & eum ſimiliter pro poſſe inducere ad acceptandum eundem modum Ceſſionis, vel alium Eccleſiæ unioni, & paci magis convenientem. Item quod deſiderarent, quod Univerſitas ab eorum reſponſionis forma in ſua ratione non diſcreparet.* Quod cum in conſilio Univerſitatis retuliſſent Oratores priùs ad Principes miſſi, communibus ſuffragiis concluſum eſt, Rectori Univerſitatis totius nomine coram Notariis publicis proteſtandum præprimis eſſe, nihil hoc in negotio ſe acturum, quod Bonifacio, quem verum ſemper Chriſti Vicarium, ſummúmque Pontificem Univerſitas hæc noſtra agnovit, ejúſque juri derogaret. Quo præſtito, delecti quoque ſunt Magiſtri ex Facultatibus ſingulis, qui reſpondendi formam conciperent, à reſponſione quam Principes noſtri ad Regem Franciæ daturi eſſent, haud diſcordem. Deliberatum præterea, quid in unionis hujus negotio agendum, ſtatuendúmque Univerſitati eſſet. At plurimorum è ſententia ſtatutum eſt, ſuperſedendum tantiſper pio hoc conatu, donec miſſi ad Bonifacium Nuncii voluntatem ejus ſignificarent, literáſque referrent ad Principes. Cùm verò Bonifacius ad Ceſſionis viam haud inclinare videretur, parum quoque deinceps in hoc negotio actum eſt.

21. Septemb. ejuſdem anni conſiliô Univerſitatis coactô decretum eſt, ut cùm Univerſitas cenſu eo annuo, opibúſque deſtituta ſit, quibus Alberto Archi-Duci ejúſque Fratri Rudolpho primis ſuis Fundatoribus parentare

rentare ſolenni ritu annis ſingulis poſſet, ut ſtatuto nihilominus tempore Univerſitatis Doctores, Magiſtri, ac Scholares omnes convocentur, annuíſque ſacris, quæ pro more in D. Stephani templo peragentur, interſint. Deligebantur præterea ex omnibus Facultatibus Magiſtri, qui cum Domino Epiſcopo Friſingenſi agerent de conſervatore privilegiorum Univerſitatis eligendo, qui ſupplicandum Domino Mareſchallo Auſtriæ cenſebat, ut hoc in ſe munus, onúſque ſuſciperet, ad quem etiam ab Univerſitate ad id electi miſſi ſunt Doctores, qui, ut Conſervatoris munus gereret, eidem perſuaſêre.

Cùm priori anno Nuncios ſuos Facultas Artium Romam declarandæ Bullæ causâ miſiſſet, hoc demum anno 1397. lis inter eam & Cancellarium terminata eſt, an decidente Pontifice, an conventione mutua, haud ſatis liquet, nullam enim de hoc mentionem Acta faciunt. Illud ſolùm ex iiſdem liquet, Cancellarium hoc anno duos Magiſtros Regentes Licentiandorum Examinatores nominâſſe, poteſtate Facultati relictâ, ut his ſuô quoque ſuffragiô quatuor alios adjungeret; obſervavíque dein per annos complures potiſſimùm ad id Regentes ſolos, utpote magìs de Scholarium profectu conſcios fuiſſe delectos.

Obiiſſe eodem tempore M. Henricum Langenſtein de Haſſia ex Actis Facultatis Artium conſtat, quorum verba ſubjungo: *Deliberavit Facultas, an ſint peragendæ exequiæ Magiſtro noſtro Henrico de Haſſia piæ memoriæ defuncto, & ſi placebit, ad cogitandum quoque de modo, & tempore, & loco illud exequendi, & concluſum fuit in Dominica Oculi decantandas eſſe pro eodem vigilias, & die altera Miſſam Defunctorum.* Natione Vir hic Teutonicus erat, Societatis Sorbonicæ Magiſter pluribus annis docuit Pariſiis, ubi anno 1363. Philoſophiam eſt profeſſus. Dein ad Theologiæ ſeſe ſtudia contulit, in eáque anno 1375. Licentiatus eſt. Paulò pòſt Viennam ab Alberto IV. Archi-Duce evocatus ibidem ſacratiores diſciplinas prælegit ingenti ſanè

nè famâ, & nomine sibi comparato, adeò, ut ejus doctrinam, ùt ait Sebastianus Titio, non solùm Joannes Picus Mirandolanus, & Joannes Eckius, sed ceteri quoque Doctissimi suspicerent. Præfuit Universitati Viennensi Rector, ejusdémque Vice Cancellarii munus per plures annos sustinuit. Tot negotiis cursque distractus scripsit plurima, quorum aliqua Trithemius, & Possevinus enumerant, sed plura longè propriâ manu conscripta in Academica Viennensi Bibliotheca reperiuntur, quorum syllabum hìc referre libelli angustiæ haud patiuntur. Qui M. Henrico in vita amicissimus fuerat, eum quoque paucos post dies in tumulum secutus est M. Henricus de Oyta, cui eodem ritu, quo M. Henrico parentatum est. Natione Germanus fuit, Parisiis primò, postremò Viennæ Theologiæ Professor, Vir magni capacisque ingenii, quem Trithemius his verbis ornat. l. de script. Eccles. *Archi-Gymnasii Viennensis unicum decus, & Complanator à principio, Vir in divinis scripturis eruditissimus, & in Philosophia Aristotelica nobiliter doctus, ingeniô subtilis, sermone scholasticus, & declamator sermonum egregius, scripsit multa præclara volumina &c.* Opera plurima ab illo manu suâ conscripta reperiuntur in Academica Viennensi Bibliotheca. Schönleben in sexagena Doctorum Vienn. de Immacul Con. Virg. quantum illi ex vetustis Schediasmatis intelligere licuit, docuisse eum etiam in Academia Carolina Pragensi judicat, ibíque dictâsse commentarium eruditum in 1. lib. sententiarum, idque Anno 1383. post quem annum primò (ut illi quidem videtur) evocatus est Viennam.

Eodem hoc anno M. Colomanus Kolb denuo Universitatis Rector, cùm in dies Studentium numerus huc confluentium augeretur, domum suam, quæ Juristarum Scholæ domuíque proxima erat, Universitati tradidit in usum duorum Magistrorum, & unius Capellani. Verùm quia in Privilegiis, & Statutis Universitatis prohibetur, ne quis novas Viennæ Scho-

las

las erigat sine consensu Rectoris, hinc cùm ipse tunc eo munere fungeretur, rati haberi donationem hanc suam ab Universitatis coactæ Consilio voluit, quæ benevolam in se voluntatem Viri hujus non approbavit tantum, sed & grates amplissimas tam studioso Rei literariæ Patrono ac fautori habuit.

Litem inter Cancellarium & Facultatem Artium terminatam superiùs insinuaveram, sed novæ discordiæ rursus hunc annum turbavêre, quæ inter eundem ac Universitatem oriebantur. Petierat fortassis M. Andreas de Hispania S. Theologiæ Doctor testes sui Gradûs, literariíque honoris literas majori Universitatis Sigillo muniri, quod hactenus apud Cancellarium conservabatur. Quare petitum id sæpius âb eodem per Rectorem, at impetratum nunquam est. Missi hinc etiam delecti ex Universitate Doctores ad Episcopum Frisingensem atque ad Principes ipsos, qui Privilegia Alberti Archi-Ducis eisdem exhiberent, rogaréntque, ut ea adversùs Cancellarii vim tueantur. Verùm cùm neque hac ratione obtineri aliquid potuisset, è Consilio Facultatum Universitatis Rector ipse cum aliquot Magistris, duobúsque Notariis publicis Cancellarium adiit, solenni ritu protestatus, omnia facta vel facienda prædicti Sigilli autoritate, nisi quantociùs redderetur, ab Universitate pro non actis atque irritis habenda. Questus etiam plurimum est de damnis atque expensis ob negatum Sigillum Universitati illatis, statímque novum aliud fieri præcepit, ad quod Facultas Artium 4. libras. Theologia & Juris libras tres. Duas Medica contulêre.

Hoc demum eodem anno Universitas primò subjudicem Laycum à Privilegiorum suorum conservatore & Austriæ simul Mareschallo petiit, qui graviores Scholarium Laycorum excessus & delicta plecteret, quem etiam agente potissimum Frisingensi Episcopo impetravit.

Anno 1398. Remos convenêre Wenceslaus Rom. Imperat.

Imperat, & Carolus VI. Galliarum Rex, ut perniciosissimo Ecclesiæ Schismati, quod tot jam annos Christianum orbem vexaverat, tandem finis poneretur. Conventúmque interReges erat, ut qui Pontificum duorum his, quæ Reges inibant piis Consiliis adversaretur, is Pontificia dignitate dejiceretur; omniúmque subditorum populorum eidem negaretur obsequium: Quod si tam fortiter strenuéque à Wenceslao adversùs Bonifacium IX. præstitum fuisset, ac à Carolo adversùs Benedictum, haud dubium erat, quin pax eo tempore rediisset Ecclesiæ. Carolus certè nihil quod ad eam reducendam facere poterat, à se desiderari passus est, habitô enim per Gallias Episcoporum Conciliô, cùm unanimi suffragio decretum esset, à Benedicto secedendum Galliæ, omnémque ei obedientiam denegandam, admonere tamen hujus ipsius decreti Benedictum placuit, ne quid in eum pararetur, ignoraret. Missi igitur ad eum à Carolo Petrus de Alliaco; & Bussicardus Franciæ Mareschallus; ille ut verbis persuaderet cessionem Benedicto, hic, ut obfirmatum armis frangat, abdicaréque se Pontificia Majestate cogeret. Verùm cum verba nil prodessent, admoveri vis tandem debuit, Bussicardus nempe numeroso exercitu Avenionem cinxit; dilapsisque fuga Cardinalibus ac secessioni Gallicæ etiam subscribentibus; cùm cives ultro portas aperuissent, in urbem ingressus est, Pontificémque intra Palatium munitissimum armata manu continuit. Ubi jurare compulsus est; non antea se exiturum, donec tot votis expedita Ecclesiæ tranquillitas restitueretur.

Hoc eodem anno Albertus IV. Alberti cum Trica filius è terra Sancta redux, Viennam feliciter ingressus est, ut Acta Universitatis his verbis declarant: *In Festo S. Nicolai Congregatio fuit Universitatis, ad videndum de modo suscipiendi Dominum Ducem de terra Sancta redeuntem, & conclusum fuit, quod deberet fieri Processio versus eum, & tunc post secundam vel tertiam*

tertiam diem, secundùm quod videretur expediens, deberet fieri sermo ad clerum coram eo, vel ad ipsum specialiter, & eidem defectus Universitatis exponi, &c. ex quo merito erroris convincitur Lazius, qui in Comment. de Geneal. Austriæ L. 2. pag. 251. ejusdem reditum è terra sancta Anno 1392. factum esse contendit. Itineris hujus seriem successúmque pluribus describit Haslbachius, etsi circa annum variet, è quo & sequentia subjungo: *Qua tempestate Dux Albertus Princeps DEO devotus statuit ad terram Sanctam proficisci, à quo proposito neque præfatus Dux Wilhelmus, neque Mater Domina Beatrix de Nuerenbergensi Burggravio genita, neque alii ipsum, neque pericula poterant avertere ex parte Turcorum sibi imminentia. Jam enim Sigismundum Regem Ungariæ anno elapso bellô fuderunt, Joannem Ducem Burgundiæ inibi in captivitatem ceperunt, omnes suos neci tradiderunt cum multis de Suevia, Bavaria, & Austria nobilibus viris, aut in captivitatem egerunt, & postea usque ad Budam Ungariam quasi nudatam habitatore reliquerunt, præsertim cum etiam vulgaris percrebuisset fama inter Saracenos, quendam potentem Principem de Christianismo se disponere sepulchrum Salvatoris invisere atque super hoc suos speculatores ordinasse, & Baasitam Regem Turcorum Nicopolim expugnasse, & Constantinopolim obsidere. Quibus omnibus non obstantibus prævaluit sententia Principis. Hinc anno ferè millesimo quadringentesimo Venetias applicuit, ubi multo cum honore suscipitur, & dispositis omnibus incognitus in sanctam civitatem venit, ubi accinctus gladiô, & militari cingulo, & ritè omnibus peractis suscepto militiæ cingulô ad propria redeundi se accingit: Ingressus itaque navim vexillum Austriæ pergrande in aëre levavit, & insonantibus tubis, fistulis, & tympanis DEO Duce salvus usque ad terras proprias multa cum gloria & omni tripudio remeavit.* Constat ex his ipsis verbis Haslbachii *Anno fere millesimo quadringentesimo*

tesimo Albertum è terra sancta prope finem hujus, de quo scribo seculi rediisse, nempè, ùt ex actis Universitatis ostendi, anno hoc 1398. secundò Albertum non discessisse ex Austria ante annum 1397. cùm clades illa à Bajazete Hungaris illata, quæ deterrere à proposito itinere juxta Haslbachium, Albertum debuisset, non ante annum 1396. contigerit, ut Brietius & alîi testantur.

Hoc anno 1399. multitudo studentium, qui undique confluebant, tanta erat, ut de novis domibus eorum usui destinandis rogandi cives fuerint, verùm cùm nullas nisi summô pretiô atque iniquô elocare iisdem vellent, ad Principes Nuncii missi sunt, qui eos ad ferendum remedium, tollendámque hanc difficultatem hortarentur. Verùm brevi is scholarium numerus diminutus est ob grassantem hoc anno pestem, ob quam multi dilapsi, scholæque clausæ, ac omnes Universitatis Facultatúmque actus suspensi, donec cessante malo convocare rursus scholares, ludúmque aperire Rectori ejúsque consilio videretur. Non tamen, ut ut afflicto hoc tempore, otiabatur Rector, Universitatísque consilium, stipendia longo jam tempore aut nulla, aut modica persolvebantur Doctoribus, censúsque annui ad conservandam Universitatis famam, sumptúsque necessarios faciendos à Fundatoribus promissi, destinatíque raró, & vix unquam integri reddebantur; hinc Doctorum querelæ audiebantur in dies, hinc Universitatis non modica pericula ac imminens è propinquo ruina timebatur. Datæ igitur hoc anno supplices ad utrumque Principem literæ, ut malo, quod haud propè abesse videbatur, succurrerent, solutísque stipendiis opem ferrent Universitati laboranti. Nec obsurduêre ad has preces optimi Principes, bono ut essent animo Magistri, certámque nondum soluti stipendii, censúsque annui rationem inirent, articulósque ea super re factos Domino Præposito S. Stephani exhiberent, jussêre. Præstitum id ab Universitate

versitate illico, negotiúmque omne cum Præposito collatum, qui se ad id perficiendum omni ope adlaboraturum spopondit, nec tamen hôc adhuc annô rem omnem conficere licuit.

Eodem anno Spondanus, & Brietius tradunt Beneficiorum Ecclesiasticorum Annatas à Bonifacio institutas in sustentationem Pontificis & Cardinalium piè admissas esse ab omnibus præterquam ab Anglis, qui solùm pro Episcopatibus id concessêre. Quorum virorum cum fides mihi sit hac in re maxima, errâsse censeo Doct. Sorbait in Catal. Rectorum, qui eas institutas refert ad annum 1391. his ipsis verbis: *Pensiones primi anni pendenda Pontifici ex majoribus beneficiis Ecclesiasticis à novis Possessoribus primum instituta.*

Anno 1400. Universitati supplicavit nomine Monasterii sui M. Franciscus de Retza Ordinis Prædicatorum, Theologiæ Professor, ac ejusdem Facultatis Decanus, ut Festum S. Thomæ Aquinatis & ipsa solenne sibi haberet, eóque ritu perageret, quo alia Universitatis ac Facultatum recepta jam Festa. Consensit ejus totiúsque Monasterii votis Universitas, adjecto tamen hoc pacto, ut sermonem iidem Religiosi ea die ad clerum haberent, quod si per annos plures neglexissent, ex tunc quoque solenne id Festum Universitati nè esset.

Non possum hic temperare calamo, quin ad geminas opiniones, quas Doctor Sorbait ad hunc annum tueri visus, refellendas excurrat. Primò quod hoc anno satis esse functum Leopoldum Archi-Ducem ejus nominis tertium referat, *postquam*, verba ejus sunt, *Arcem in Nova Civitate instaurâsset, naturæ placidè concessit: sepultus Viennæ in Templo S. Stephani.* Nam etsi non ignorem à multis Leopoldum Alberti III. Fratrem secundum, ab aliis tertium appellari. Hic tamen jam anno 1386. in pugna contra Helvetos, ut superiùs retuli, occubuit, nec Viennæ, sed in Monasterio Fürstenfeld est sepultus. Quod si verò alterum

Leo-

Leopoldum prioris ſcilicet Filium intelligit Sorbait, nec hic ab errore excuſandus eſt. Hunc enim monumenta antiqua, atque Epitaphium ipſum tumulo ejus inſcriptum in Grypta Archi-Ducum Auſtriæ in Templo S. Stephani apertè probant non ante annum 1411. è vivis exceſſiſſe. Alterum eſt, quòd hoc anno videatur ponere Antonium S. Stephani Viennæ Præpoſitum, Cancellariúmque Univerſitatis, eſſe creatum, quod Actis Univerſitatis apertè repugnat, quæ clarè docent anno 1391. vacâſſe Præpoſituram S. Stephani, poſtquam ſcilicet Dominus Georgius à Liechtenſtein ad Tridentinum Epiſcopatum eſt promotus, cui breve poſt intervallum ſucceſſit novus Præpoſitus, atque is, ùt in ſerie Præpoſitorum priori anno in libello de memorabilibus Eccleſiæ S. Stephani typis dato oſtendi, alius non fuit, quam Antonius prædictus. Accedit, quod eodem in opuſculo adduxerim literas ad eum à Pontifice anno 1398. datas, quæ incipiunt *Bonifacius Servus Servorum DEI, dilecto Filio Antonio Præpoſito Eccleſiæ omnium Sanctorum in Wienna Patavienſis Diœceſis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.* Clauduntur verò his verbis. *Datum Romæ apud S. Petrum IV. Non. Junii Pontificatûs noſtri anno decimo.* Ex quibus haud obſcurè liquet, longè ante hunc, quem ſcribimus annum, Antonium hunc & Præpoſiti, & Cancellarii Univerſitatis eſſe munere functum.

Demum hoc anno Wenceslaus ab Electoribus eſt exautoratus ob ſegnitiem, qua Romanum adminiſtravit Imperium, & mores vitámque turpiſſimam, quam crudelitate ſummâ, nec minori libidine contaminavit. Subrogatus illi quidem in Imperium eſt Fridericus IV. Brunsvicenſis, dignus Imperatoriâ hac Majeſtate, at ſpem expectationémque Germaniæ ſuffocavit perfidia: rediens ſiquidem ex comitiis interemptus eſt à Walechiano Comite. Unde ad alia tranſire rurſus ſuffragia neceſſe erat Electoribus, qui brevi Friderico ſucceſſorem deſtinarunt Robertum, ſeu Rupertum cognomentò

gnomentô parvum, Bavariæ Ducem, ac Comitem Palatinum, quem & Romana dein sedes approbavit.

Annô 1402. (nam alter nil relatu dignum continere visus est) Universitatis nostræ studium fuit, conatúsque maximus, ut stipendia tot annis non persoluta à Principibus obtineret; sed impedimento fuerunt Magistri ac Doctores plurimi, qui dum privatis intenti commodis, suíque studiosiores emolumenti, quàm publici, ad stipendia sibi debita ex ærario Principis recuperanda iniquiùs adlaborant, aliorum æmulorum æquè ac totius literariæ reipublicæ conatus interturbavêre. Hinc lex hæc ab Universitate lata est, scilicet: *Quod si essent aliqui, qui pro personalibus, & individualibus confirmationibus suorum stipendiorum laborarent, quòd isti per juramenta ipsorum requirantur, quòd à talibus laboribus desisterent, usque dum Universitas in factis suis haberet expeditionem; cùm bonum commune præferendum sit bono particulari, & pro tunc Rector requisivit omnes super formam communem.*

Hoc quoque tempore subtractio obedientiæ adversùs Benedictum motus varios in Galliis excitavit, multis etiamnum palàm apertéque eidem faventibus, deducta tandem res eò est, operâ præcipuè & studiô Ducis Aurelianensis, qui Benedicti partes strenuè tuebatur, ut Clamengii Epistola priùs à me citata, & lacerata, & proscripta sit, Pontificíque obedientia rursus restituta.

Annô dein 1403. Benedictus, aliàs Petrus de Luna, operâ Gallorum sibi faventium ex Palatio suo Avenionensi, in quo hactenus detinebatur, fugâ elapsus, statímque à Cardinalibus, qui antea ab eo recesserant, susceptus est, magnâ sanè Benedicti felicitate, si ea tam bene uti, quàm providè, astutéque sibi parare eandem novisset. Verùm ferventioris homo ingenii, vindictæque quàm salutis suæ studiosior, cùm ad eum Massiliam mitteretur Joannes Charlerius dictus Gersonius, ut electiones ad beneficia tempore denegati sibi obse-

obſequii rati haberet, confirmarétque, non ſolùm Virum hunc durius excepit, ſed & pertinaciter eas confirmare renuit, quo facto plurimorum Eccleſiaſticorum, ac præcipuè Univerſitatis Pariſinæ animos à ſe avertit, ùt infrà videbimus.

Hoc eodem anno Univerſitas noſtra decrevit Nuncios Romam cum rotulo mittendos, ad nova beneficia, favoréſque Apoſtolica à Sede impetrandos, concluſúmque eſt, ut qui inſcribi vellent, ſe Decano Facultatis ſuæ ſiſterent, à quo dein eorum nomina rotulo insererentur, quamvis ejuſdem expeditio ſequenti primò anno facta ſit.

Annô 1404. Benedictus, an juſto metu ſibi à Galliæ Præcipuis quibusque Viris intentato, an communis boni ſtudio permotus, Oratores ad Bonifacium Romam mittit, qui de pace ineunda cum eodem agerent; verùm ii vix urbem ſubeunt, Pontificémque negotii ſui admonent, cùm is è calculi doloribus Kalend. Octob. extinguitur. Obteſtati ſunt Oratores Galli Cardinales tum Romæ degentes, ne hoc ipſo tempore, quo major ſpes pacandæ Eccleſiæ affulgeret, in novi Pontificis creandi conſilium coirent, verùm auditi non ſunt, quin imò, ùt Galliæ ſcriptores referunt à defuncti Bonifacii Nepote in caſtrum S. Angeli incluſi non antea dimiſſi ſunt, quàm quinque millia aureorum perſolviſſent. Cardinales conclave ingreſſi poſt 15. dies Coſmam Melioratum Sulmonenſem Pontificem jubent, qui Innocentii dein VII. nomen geſſerat.

Ad eundem annum manuſcripta quædam & Chronica mortem Alberti IV. referunt, quibus tamen repugnat Haslbachius eum annis abhinc duobus obiiſſe contendens, cujus verba ſubjungere placuit: *Dum Procopius Marchio Moraviæ minor natu contra Jodocum fratrem ſuum germanum paternæ hæreditatis partem ſibi tradi à fratre popoſciſſet, & contentus non eſſet de fratre præfato, arreptis oppidis Znoima, & Pocharliz maximas per Moraviam agebat prædas aſſociatis ſibi*

multis latronum sociis, & oppressis ære alieno, nec non furibus, & proscriptis. Quibus dum Moravia non sufficeret, etiam nocturnas & clandestinas agebant prædas non modicas Duce quodam Zuckenscheidt, vulgariter Düerteiffl, aliàs de Jeispiz. Cùm autem clamorem pauperum percepisset Inclytus Dux Albertus, miseratus innocentium miserias se contra præfatos prædones magno adunato exercitu propria in persona libenter accinxit &c. Et post pauca: *Sed dum multi potentes desides se plurimùm in aggressu viderentur ostendere, multi quoque dietim in equorum adaquatione periculis involverentur, & dispositis arietibus ad conquassandum murum per negligentiam quoque custodiæ facto impetu per incolas adversarios pice, & sulphure injectis, cùm igne præfati fuissent arietes incinerati, frustra cum bombardis ex post turres quassata sunt. Tandem veniente Sigismundo Rege Ungariæ cum suis, simul is cum Alberto lethalem potum fertur hausisse, à quo Rex suspensus per pedes Medicòrum arte curatus est; Dux verò Albertus gravi cepit dissenteriâ fatigari, unde & infectô negotiô obsidio dissolvitur. Dux verò in lectica deductus circa Haslbach natale solum meum. Ego puer cum aliis in viarum compitis astiti, & Principem levantem caput vidi, & dicentem: O quantâ isti involventur paupertate. Nesciens quid hæc designarent. Deductus quoque Neuburgam Claustralem, quia votum voverat, se vivum Viennam non intraturum, nisi de suis & Reipublicæ hostibus dignam expetiisset ultionem, pausavit ibidem diebus paucis, quibus dum languor invalesceret; omnibus Ecclesiasticis munitus Sacramentis feliciter obdormivit in Domino Annô Domini 1402. sepultúsq; Viennæ cum Patre &c.* In quibus quidem omnibus hucusque à me relatis, ut ut à veritate rei gestæ non aberrat scriptor optimus sinceræque fidei, in anno tamen ipso referendo lapsum eum esse liqueat ex iis ipsis, quæ in memorabilibus de Ecclesia S. Stephani in tit. ult. de Grypt. Archi-Ducum retuli, patebitque amplius

pliùs ex iis, quæ mox referam ex actis nostris ùt sequuntur. Nova hoc anno pecuniarum exactio à Civibus Viennensibus facta, qua in singula capita grossi unius summa persolvenda statuebatur; nec Magistris quidem ac Universitatis Doctoribus parcitum. Quare ad Ducem Wilhelmum atque ad Episcopum Frisingensem missi Universitatis Legati, qui utrumque hortarentur, ut Scholares Magistrósque ab hoc exactionis onere juxta privilegia ac Jura sibi à Fundatoribus concessa eximerent: sed impetratum est nihil. Hinc literæ quoque supplices anno hoc scilicet 1404. ad Archi-Ducem Albertum missæ unà cum privilegiis Universitatis, tunc haud procul Znoima in urbe Rezza cum exercitu versantem, qui visis iisdem liberam omninò ab hoc onere Universitatem pronunciavit, hujúsque voluntatis testes literas ad Wilhelmum Ducem, urbisque Consulem dedit. Ex quo conficitur Albertum Anno hoc 1404. in vivis adhuc fuisse, Znoimámque obsedisse, brevi tamen, ùt superiùs meminimus, fatis functum esse, ex veneno hostium scelere ac perfidiâ eidem propinato.

Eodem hoc anno Dominus Joannes de Rottenburg Rector Universitatis consilium coëgit, ad videndum de modo excipiendi Dominum Episcopum Frisingensem Bertholdum Wechinger, olim in hac Viennensi nostra Universitate Doctorem creatum, & hoc anno à Bonifaciô IX. summo Pontifice Salisburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopum recèns nominatum. Conclusítque Rector, ut, quemadmodum Dux Wilhelmus petierat, tota ei Universitas in ordines suos distincta obviam procederet. Quod & factum est.

Mota quoque Universitas hoc tempore tantâ Ecclesiæ, resque Christianæ calamitate, quam diuturnum schisma invexerat, accedentibus præterea Universitatis Parisiensis literis, quibus filiam hanc suam frequentiùs adhortabatur, ut labori nulli, conatuíque parceret, ad rem Christiano orbi tam utilem tandem perficiendam.

His

His, inquam, & similibus permota, Oratores suos ad Archi-Ducem Wilhelmum, qui defunctô Albertô solus tum Austriæ præfuerat, tum verò etiam ad Præsules Salisburgensem & Pataviensem, atque ad omnes vicinos Duces ac Principes, quorum in terris Universitas nulla tum fuerat, destinavit, inter quos etiam M. Nicolaum de Dincklspichl fuisse reperio, qui eos adhortarentur, ut collatis studiis ad restituendam Ecclesiæ unionem incumberent, ad quod præclarum opus perficiendum omnem suam operam, Nuncios, extremásque impendendas opes Universitas pollicebatur.

Annô dein 1405. Innocentius antequam Româ discederet, literas ad Universitatem Parisiensem dedit, quibus Benedicti Oratores à se detentos esse, omni quo poterat studio excusabat, consilium quoque ad unionem Ecclesiæ restituendam generale decrevit, sed ob motus Romanæ urbis, præmaturámque mortem id exequi haud poterat. Benedictus quoque totus ad ineundam cum Innocentio concordiam spectare visus est, Cardinalibus quoque omni contentione adlaborantibus. Recusavit oblatas has concordiæ vias Innocentius, ob quod de æquitate causæ suæ multum gloriari Benedictus auditus est. At neutri sincerum pacis studium fuit, utroque Pontificiam dignitatem retinere, nec æmulo cedere obfirmatô.

Hæc Innocentii convocandi concilii voluntas, cùm ad Universitatem nostram delata est, mirum est, quantâ gestiêrint lætitiâ singulorum animi. Decantari per Universitatem plures de S. Spiritu Missæ solenni ritu jussum est, quibus Rector, qui tum erat M. Lambertus de Gelria, cum omnibus Magistris & Doctoribus intererat. Missi præterea per omnium Religiosorum Asceteria Doctores non in urbe hac tantùm nostra, sed remotiùs quoque dissita, qui sacrarum familiarum præsides excitarent, ut quà piis precibus ac votis, quà etiam consiliô scriptísque vulgatis pium hoc sanctúmque negotium promoverent.

Missus

Missus hoc eodem anno rursus est ad Innocentium Summum Pontificem Rotulus, eo quo superiùs insinuavimus modo, Nunciique ad eum perferendum delecti sunt Dominus Joannes de Venetiis Decretorum Doctor, & M. Nicolaus Dincklspichl Magister in Facultate Artium, & Baccalaureus formatus in Theologia, Facultas enim Theologica se Facultati Artium adjunxit, Medici autem Nuncium nullum misêre. Impetraverunt hi facilè gratias & privilegia ab Universitate petita, faventibus jam tum impensè Universitati Viennensi Cardinalibus, Principibúsque Viris plurimis, qui partes Innocentii tuebantur. Hæc inter privilegia & favores à Summo Pontifice concessos duo præcipuè erant, quorum mentionem acta nostra faciunt; scilicet, quod Universitati fas deinceps esset sibi ipsi cum consensu tamen Principum Superintendentes certos, ac quasi privilegiorum suorum tutores deligere; secundò indultum & illud est, ut qui Viennæ studiorum causâ versarentur, etiam absentes beneficiorum suorum fructus integros deinceps perciperent.

Annô 1406. cùm Romam revocatus pacatísque tantisper rebus rediîsset Innocentius VII. apoplexiâ extinctus est oct. Idus Nov. Anxii suspensíq; diu hæsêre post ejus obitum purpuratorum animi, an eis ad novum creandum Ecclesiæ Sumum Pontificem secedendum esset; postquam à Galliæ Principibus Viris ad ineundam concordiam eò coactum Benedictum cernerent, ut jurejurando sponderet se autoritate suâ, dignitatéq; cessurum, seu Cardinalium Romanorum suffragiis nullus ad id fastigium Pontifex veheretur, seu is noviter creatus sponte sua eo sese honore abdicaret; at vicit tandem eorum sententia, qui creandum Pontificem novum voluêre, tum nè Romanorum Cardinalium torpor Benedicto ad retinendum Pontificatum pertinacissimo nova arma ministraret; tum nè urbis ipsius tumultus, populíque seditiosi ferocitas augeretur. Inivêre igitur Purpurati conclave, juramentô anteà à singulis præstitô,

ftitô, atque in tabulas relatô, ut si Pontifex Summus crearetur, illico jure suo dignitatéque cederet, si id à Benedicto, aut ejus, si quis esset, successore factum esse intelligeretur, jussúsque est 9. Kalend. Decemb. Ecclesiæ summa autoritate præesse Angelus Corarius, Gregorius dein dictus XII.

Obiit hoc eodem anno Wilhelmus Dux Austriæ, ùt & Chronica antiqua, & Haslbachius, & Acta Universitatis, & annus ipse mortis tumulo ejus in crypta Archi-Ducum ad S. Stephani inscriptus apertè declarant. Quare meritò corrigendus est Doctor Sorbait, qui in Catalogo Rectorum Universitatis ejus obitum ad annum 1404. refert. Morte ejus intellecta Universitas statuit; Anniversarium ei convocatis Doctoribus celebrandum, nec immeritò, ùtpote qui hoc eodem anno è telonio Ybbsensi certos reditus stipendia literaria merentibus persolvi decreverat, 800. florenos nempe annuos, ut idem Doctor Sorbait ad annum 1404. recenset. Acta nostræ Universitatis verò ad hunc annum mentionem ejus rei faciunt sequentibus verbis: *Facta est congregatio Universitatis, quia Muta erat oblata per Dominum Principem Universitati &c.* Mortuus est optimus Princeps ipso festo Divisionis Apostolorum die nempe 15. Julii, magnô sanè sui apud literatos omnes desideriô, apud populum æquè ac Nobiles viros luctu ingenti relicto. Habita sunt post justa ei persoluta, ab Austriæ proceribus comitia, in quibus Archi-Dux Austriæ Albertus V. Alberti scilicet IV. Filius tanquam verus in Dominium Austriæ Successor agnitus, & assumptus est. Verùm cùm impubes is adhuc esset, neque ad tractanda Reipublicæ gubernacula idoneus; è Suevia advocari debuit Leopoldus Wilhelmi defuncti Frater, qui negotia administraret publica, cujúsque sub tutela Albertus adolesceret. Sed neque sic pacatæ diu esse Austriæ licuit; invidente scilicet Fraternæ, ut putabat Gloriæ Ernesto Leopoldi Germano, qui, ut in Alberti Tutorem

unà

unà cum Fratre assumeretur, precibus primùm, tum & minis egit. Cessit tandem, ùt ùt ætate Senior, morémque Fratri Leopoldus gessit eo tamen pacto, ut mensis unius decursu hic, alter altero Alberto simul ac Provinciæ totius rebus præesset, magno sanè populi civiúmque malo, ùt inferius patebit.

Gregorius XII. memor quæ promiserat, antequam Summus Pontifex crearetur, priori jam anno ad Principes viros, Universitatésque præcipuas literas dedit, quibus, si ita æmulus vellet, cessùrum se jure omni promittebat, relatæ sunt & eæ Viennam ad Doctores nostros, sed non nisi anno 1407. quorum Acta nostra meminerunt his verbis: *Die 28. Januarii congregata fuit Universitas per Dominum Rectorem Hermanum Treysa ad audiendam Bullam per Domnum Apostolicum Universitati destinatam, & fuit de unione per DEI gratiam facienda, ad quam faciendam se Dominus noster Apostolicus offert, & usque ad Juris sui cessionem, & nos requisivit, ad cooperandum.* Exultabat Universitas, sinceráque voluptate gestiebat, uti & Principes Europæ omnes, destinabatúrque jam locus scilicet Saona in quam convenirent ambo, juráque sua, ac si quid in utramque partem opportunum censerent, proponerent. Tergiversabatur tamen primùm Gregorius tum ob metum Ladislai Siciliæ Regis, à quo captus paulò ante fuisset, ni in castrum S. Angeli priùs de fraude insidiisque admonitus confugisset; tum verò quia urbi Galliæ partibus nimium faventi periculosum credebat, se, vitam, fortunámque suam committere. Hinc demum elusa bonorum omnium expectatio gaudente potissimum Benedicto, qui quemadmodum invitus, dolénsque, id tot Europæ Principum, eruditorúmque virorum consilium in opus redigi vidisset, ita disjectas machinationes omnes non sine gemitu audire visus est, invidiámque totam in Gregorium æmulum transferre. Non defuit tamen piorum omnium votis Universitas nostra, quæ per viros do-

ctissimos

ctissimos irremissô studiô Principes stimulabat, ut Oratores ad Gregorium mitterent, qui Gessionis viam tanquam Ecclesiæ perutilem eidem persuaderent, ad quod ut Duces tantò faciliùs inclinarentur, multo primùm labore cum Proceribus, Nobilibúsque Austriæ viris ab Universitate est actum.

Verùm dum pacandæ Ecclesiæ studet Austria, intestinis ipsa motibus, plúsque quàm civili bello agitari cæpit. Seu enim ex vero, seu Ernesti dolo potiùs sparsa in vulgus hæc fama est, latéque promota supicio Leopoldum corradendæ pecuniæ plus æquo studiosum non tutoris obire munus, sed in suum unius commodum Provinciarum res omnes vertere. Nil hìc morandum esse arbitratus est Ernestus, sed occasione celeriter usus Viennam properat, conciliatisque multorum Nobilium animis, ac præsertim Domini Friderici de Walseè operâ tutelam Alberti suscipit, Fratrémque, qui fors contra Prædones in castris extra urbem versatus est, excludit. Hinc immensa Leopoldi in Ernestum ac Viennenses fuêre odia, qui rei ad se famâ perlatâ Neostadium secessit, atque Frisingensis Episcopi labore postquam milites conduxisset, bellum Fratri urbíque nostræ indixit. Grudeli sanè & immiti Austriæ fato, dum, prout diversa multorum in Principes erant studia, hìc sæpe parentes cum filiis, fratres ibi cum fratribus in pugna concurrerent, vicini, affinésque cognatorum depopularentur agros, Cives Civium vitæ, fortunis, atque opibus insidiarentur. Has inter patriæ discordias, Fratrúmque bella Universitas anxia diu hæserat, cujus præprimis partes sectaretur, quem Dominum, Principémque suum agnosceret. At cùm Ernestus Viennâ tum solus potiretur, dandum & illa aliquid tempori censuit, Principémque adeundum, cujus favori se, suáque Privilegia impensè commendaret. Sermonem ad Ernestum, Albertúmque Principem fecit M. Franciscus de Retza Ordinis Prædicatorum

Sacræ

Sacræ Theologiæ Doctor eximius, quo eum ad tuenda Universitatis Jura, augendósque favores sibi à majoribus impensos adhortabatur. Placuit hoc in se Universitatis nostræ studium atque voluntas Principi, qui favores, benevolentiámque suam Magistris liberaliter pollicitus Dominum insuper Fridericum de Wallseè virum è nobilitate Austriaca primarium Universitatis, ejusdémque privilegiorum conservatorem dedit.

Octavâ Octobris M. Petrus de Pulcka Universitatis hoc eodem anno Rector convocatis Facultatum singularum Decanis, Doctorúmque coacto senatui literas ab Episcopo Tridentino ad Universitatem datas exposuit, quibus efflictim supplicaverat, ut Universitas apud Leopoldum & Ernestum Archi-Duces intercederet, nè diutiùs Viennæ in captivitate detineretur. Erat is Georgius è Baronibus de Liechtenstein, primus ab aucta & confirmata per Albertum tertium Universitate ejusdem Cancellarius, & ad S. Stephani Præpositus, dein ad Episcopalem hanc Tridentinæ Ecclesiæ Infulam evectus. Hunc Fridericus Leopoldi & Ernesti Germanus ob non servata pacta secum inita tradi sibi à Civibus petiit, ac aliquamdiu apud se detentum Episcopatu exuit, tandem metu nè Viennensem in se Universitatem concitaret, Viennam ad Fratres vigili sub custodia transmisit, à cujus adventu, ut Acta nostra loquuntur, interdictum Viennæ servatum est. Permota optimè de se meriti hujus viri precibus ac calamitate Universitas nihil in se desiderari passa est, quod ad reddendam ei libertatem, dignitatémque pristinam conferre posse videretur, at impetratum nil est aliud, quàm ut aliquod post tempus Fridericus ipse in Aula Archi-Ducali convocari omnes Universitatis Doctores peteret, quorum in consessu literas pactorum prælegi jussit, eósque veluti causæ totius arbitros constituit. Auditis Friderici querelis Universitas per Dominum Hainricum Fleckl postea Passaviensem Decanum, placare tantisper

 tisper

tiſper Principem voluit, orans obteſtánsque, ut, ſi quid fors in ſe peccatum eſſet, id ob tanti viri alia præclara merita oblivioni traderet, rurſúsque liberum ad Eccleſiam ſuam remitteret, ſed Fridericus preces admittere renuens, iratúsque è conſilio exceſſit, ſícque labor omnis, conatúsque Univerſitatis irritus tum ceſſit.

Eodem hoc anno Chriſtophorus Czeſtorffer in eventum, quo filius ſuus, quem unicum habebat, impubes decederet, (quod & dein contigit) omnia bona ſua Univerſitati tranſcripſit, ut ex iis perpetuò decem ſtudioſi de Natione Auſtriaca alerentur, comparata dein iisdem bonis eſt domus, quæ primò quidem Burſa Sprengeriana, dein burſa etiam agni dicta eſt.

Crevêre hoc anno, ſcilicet 1408. diſcordiæ Auſtriæ, quæ non Fratres ſolùm inter ſe, ſed & Cives Vienneņſes commisêre, dum populus quidem Leopoldo, Senatus, Nobiléſque Erneſto Studiosè faverent. Hinc ſeditiones ortæ in urbe Viennenſi, quarum causâ quinque de plebe jugulum publico in foro præbere carnificis gladio juſſi ſunt. Tot patriæ cladibus commoti boni omnes, ac præcipuè Univerſitatis noſtræ Doctores mirum eſt, quantum ad pacem reſtituendam adlaborarint, factúmque eorum Conſiliis, ut Fratres poſitis armis in amicitiam redirent. Reductus ſiquidem Viennam cum Fratre Leopoldus magnâ populi lætitiâ, lætíſque acclamantium vocibus exceptus eſt, paulúmque ibi moratus Neoſtadium ille, Erneſtus in Styriam receſſit. Et verò coaluiſſent jam tum acerba illa Auſtriæ vulnera, niſi exactionibus immenſis, privatáque exhauriendo Civium æraria vindicare dolorem priſtinum, ultra quàm fas fuerat, Leopoldus ſtuduiſſet: Cùm enim imparem tantis oneribus urbem primarii quique Cives viderent, ad nova quoque onera imponenda populo cogebantur. Hinc querelæ primùm plebis, tum obloquendi audacia, publicus tandem apertúsque viliſſimorum hominum

minum furor. Leopoldum accedunt vix Viennam denuo ingressum, opprimi se potentiorum queruntur libidine, seditionis autores primos quosque Civium è Senatu fuisse denunciant, nec antea pacem redituram clamitant, donec malorum omnium hi incentores è vivis tollantur. Hinc compacti in carcerem & vincula senatores, protracti ad capitis subeundum supplicium tres viri præcipui, Vorlauft, Romperstorffer, & Rock, ceteri ægrè ingentíque ære redempti. Sopitum horum sanguine, non extinctum fuit civilis belli incendium, quod ab externis Principibus rursus concitatum vehementius erupit. Allatæ siquidem ex Hungaria, Bohemia, & Moravia literæ bellum vicinis earum Provinciarum à Principibus Leopoldo movendum apertè indicarunt, ad quod Austriæ nobiles quidam viri, qui eosdem solicitaverant, quà opibus quà manu promovendum strenuè adlaborarunt, hinc direpta oppida, arces munitissimæ partim vi, partim deditione captæ, vastati impunè agri, Ernesto aut viribus, ut laboranti Fratri succurreret, destituto, aut opem ferre, ùt memor Principum ira est, recusante.

Eodem anno à Galliæ regno Pontificum utrique obedientia subtracta est; quo tamen haud territus Gregorius novos Cardinales creavit. Exacerbavit adeò id factum aliorum Purpuratorum animos, maximè eorum, qui ob concordiæ studium ab eo depositi, aut excommunicationis sententiæ subjecti sunt, ut ad novum Concilium appellarent, Pisásque secederent; missæ sunt ab eisdem ad Principes, præcipuásque Europæ Universitates literæ, è quibus & aliquas Viennam Oratores eorundem hoc anno detulêre, tum ad Principes Austriæ, tum ad Universitatem destinatas, quibus ad Concilium generale Pisis celebrandum invitabantur. Convocatâ igitur per Universitatis tunc Rectorem M. Henricum Kizbüchl Universitate proposuit Dominus Joannes Abzyeher, Artium &

& Juris Canonici Professor Cardinalium eo tempore ad Viennenses Magistros Orator sequentia sibi à Purpuratorum Collegio commendata. Primò parere deinceps Gregorio Pontifici Universitas nostra nè velit. Secundò ut Cardinalibus Pisas convenientibus, aut jam ibidem congregatis auxilium omne promittat, eísque assistat fideliter. Tertiò ut Doctores ac Magistri Viennenses literas mittant ad Doctores & Magistros aliarum Universitatum, tum verò etiam ad Principes viros, quibus eosdem ad Concilium hoc Generale invitent, & adhortentur. Addidit & his omnibus Rector Universitatis Ducem Leopoldum ad dictum Concilium invitatum sententiam à se ferendam Doctorum arbitrio reliquisse. Quibus auditis illico Magistri è Facultatibus singulis delecti sunt, qui ad discutiendum gravissimum hoc negotium viribus omnibus desudarent. Nomina eorum in Actis nostris reperio, quæ subjungo, M. Rudgerus de Ruremunda. M Joan. Verwarti. M. Nicolaus Dinckl-spüchl. M. Petrus de Pulcka. M. Petrus Seglauer. M. Petrus Deckinger, & M. Theodoricus de Hamelberg, Facultatis Artium tunc Decanus. Quorum è Sententia hoc modo conclusit Universitas, verba Actorum refero. *Primò quod universis sanctum propositum Dominorum Cardinalium communicaretur, & quod eisdem Cardinalibus Universitas quoad primum petitum certos vel certum Ambassiatores, vel Ambassiatorem mitteret, & quod ipsa de nomine mittendorum deliberaret, item quod ipsa universis Cardinalibus adhæreret. Item quo ad secundum petitum saltem quoad Concilium procurandum, & in his quæ facerent ad sancta unionis complementum, & quod ipsa ad hoc Dominos Principes, & Dominum ordinarium hortaretur similiter faciendum, juxta suarum virium Facultatem, & quod ipsa Universitas suam intentionem quantocius Dominis Cardinalibus intimaret. Item quod placeret deputatis, qualiter subtracta obedientia à Domi-*

à Domino Gregorio plura pericula imminerent, quod ipsa Universitas amplius cum Domino Principe, & Domino ordinario cogitaret, quantum, & qualiter talis subtractio sit celebranda, scilicet, quæ plus prosit, quàm obsit ad S. Unionis promotionem, & quod hoc per Universitatem Dominorum Cardinalium Ambassiatori esset respondendum. Denique, quia Dominus Leopoldus Dux Austriæ suam deliberationem Universitati commisisset, quòd ipsa illum realiter informaret, ut dignaretur ipsi Ambassiatori suo modo respondere, nullis parcendo laboribus & expensis.

Hæc, ut quantocius perficerentur, missus illico ab Universitate est M. Joannes Verwart ad Ducem Ernestum, atque ad Salisburgensem, Passaviensémque Antistites, alii ad alios vicinos Præsules Austríæque Magnates, qui eorum animos ad promovendum Cardinalium desiderium, concordiámque reducendam excitarent. Redditæ sunt breve post tempus à Passaviensi Episcopo, qui fuit Georgius Comes de Altaflamma, Universitati literæ, quibus eam rogaverat, ut ea cum Leonardo Officiali suo Viennæ degenti materiam negotiúmque de unione universalis Ecclesiæ pertractaret accuratiùs, cúmque à Romanorum Rege Ruperto ad Comitia Imperii proximè habenda invitatus esset, petiit quoque, ut Doctores duos ei Universitas adjungeret, quorum unus in Theologia, in Jure Canonico alter versatus quàm optimè esset. Annuit utrique petitioni Universitas admonitô tamen antea Leopoldo Principe, ejúsque hac super re voluntate diligenter exploratâ, delegítque eidem Præsuli mittendos ex Theologica quidem Facultate Doct. Lambertum, ex Facultate verò Juris Canonici M. Gerardum Canonicum S. Stephani.

Mense Decembri rediit ab Ernesto Archi-Duce M. Joannes Verwart, retulítque ab eodem literas, quibus amplissimas gratias Universitati retulit ob tam præclarum fervénsque studium, quo ad pacandam Eccle-

Ecclesiam fertur, media quoque sibi & modum proponi petiit, quo ille promovere hoc negotium & posset, & deberet. Rogavit præterea Ernestus consilium ab Universitate, quæsivítque an rationabiliter, prudentérque interdictum observetur Viennæ ob Episcopum Tridentinum, de quo superius dictum est. Causa verò dubitandi hæc illi visa, quemadmodum Acta nostra loquuntur: *Cum dictus Episcopus sit liber ad exeundum, quo sibi placeret usque ad Festum S. Georgii; & etiam cùm ipse exit ad S. Udalricum animo redeundi, campanæ pulsentur, & Divinum Officium celebretur. Si enim sic, fieret irrationabiliter in loco & residentia Dominorum Ducum, & ubi tot tantiq; viri docti; non esset pro honore totius domus Austriacæ. Et placuit Universitati, quod se excusaret, eò quod prius nunquam fuerit requisita super isto Articulo, & quod per eam non staret, quod itendidem relaxaretur.* Ad alia autem petita Archi-Ducis explenda delecti sunt Doctores & Magistri aliqui, qui modum & media restituendæ unionis invenirent, eáque Ernesto Principi rescriberent.

Eodem hoc anno à Pragensi Universitate damnati sunt publicô decretô Wicleffi errores à quibusdam Doctoribus ex Wicleffi scriptis eruti ac publicè propugnati, súntque iidem, qui à Constantiensi dein concilio gravissimæ censuræ fulmine icti fuêre, & proscripti: pertinebant autem, ùt Spondanus ad hunc annum recenset, ad negationem transubstantiationis in Sacramento Altaris, quod solam corporis Christi figuram esse asserebant, ad destructionem potestatis & autoritatis Ecclesiasticæ tam in Divinis, quàm in humanis, nec non ad eversionem Ordinum mendicantium, ac aliorum Religiosorum Ordinum, bonorum Ecclesiasticorum, & dotationum Ecclesiarum, decimarum, indulgentiarum, Universitatum, ac studiorum. Asserebant præterea nullum esse Dominum civilem, nullum Prælatum, nullum Episcopum, dum est in peccato mor-

tali,

tali, Ecclesiam Romanam esse Synagogam Sathanæ, ac demum, quod scribere horret calamus, Deum ipsum servire debere diabolo.

Ineunte anno 1409. redierunt Oratores Universitatis tum per Austriam, tum per vicinas Provincias ad sacrorum Ordinum Præsules missi, scilicet M. Rupertus, & M. Henricus Kizbichl, qui retulêre mirum in modum ad restituendam per concilium generale Ecclesiæ tranquillitatem animatos esse omnes, cuperéque, ut ex Austriacorum Principum ditionibus mitterentur unus altérve Episcopus, ac nomine ipsius Universitatis Doctores nonnulli, qui eidem interessent. Unus obstare videbatur ceterorum votis ac studio Sigismundus Hungariæ Rex, qui Ruperti Romanorum tum Regis sententiæ plus fortassis æquô favens differendum ad meliora tempora, alióque loco celebrandum concilium (testes hìc cito Actorum nostrorum libros) persuadere omni contentione laborabat. Proposita est hæc Sigismundi Regis sententia Universitatis Doctoribus per Dominum Episcopum Frisingensem, qua post maturam deliberationem contemptâ, ab ejusdem Senatu statutum est, priori strenuè conatui insistendum, adhærendum Cardinalium jam unitorum Collegio, pérque generale concilium perniciosissimum Ecclesiæ schisma penitùs abolendum esse. Decreti itaque proximis diebus sunt Oratores Universitatis nomine Pisas ituri scilicet M. Franciscus de Retza Ordinis Prædicatorum Theologiæ tum Doctor eximius, & M. Paulus Deckinger Artium Magister & Canonum Jurisque Pontificii peritissimus, cúmque ad eos mittendos collecta per Universitatem pecunia haud sufficiens videretur, de suppetiis ferendis Principes rogati, quas illi etiam non leves tulêre.

Jurârunt iidem Oratores 29. Martii, lectáque sunt eis Universitatis mandata, ùt sequuntur: *Primò, quod ipsis ad locum concilii venientibus præsentarent literas Universitatis sacro Collegio Dominorum Cardinalium, ac*

 etiam

etiam aliis, quibus Universitas decreverat scribendum; exponant eis solenniter cum discretione quomodo, & qualiter sint ipsi Ambassiatores Universitatis Viennensis transmissi per eandem ad requisitionem eorundem Dominorum Cardinalium, ut intersint ejus nomine Concilio pro unione Ecclesiæ habendo. Secundò quod se offerant paratos ad ipsorum Dominorum Cardinalium, & aliorum Principum de motu Spiritûs Sancti congregatorum mandata, & præcepta, consulendo, exequendo, cooperando, assistendo; ut per viam Concilii generalis ad sanctissimam unionem & saluberrimam, in Ecclesia Dei perveniatur. Tertiò quod viis omnibus sibi possibilibus, & huic materiæ congruentibus, tam in publico, quàm in privato, in Concilio, & ubicunque ipsis videbitur expedire, cunctis privatis, seu publicis negotiis suspensis, & exclusis identidem, & efficaciter conentur, ut unio sancta, salubris, & utilis procuretur. Quartò ut quod providenter, & maturè in singulis se gerant, & cauti, ac oculati sint, ac aliorum Ambassiatorum gestis, & factis laudabilibus se conforment; adeò ut tam ipsi; quàm tota Universitas honorem & laudem, ac meritum à Deo, & Ecclesia sancta fructum sanctæ unionis consequatur. Quintò, si super præmissis specialiter requisiti fuerint, obligent se nomine Universitatis, & promittant, quod ipsa stare velit in omnem eventum determinatione S. Collegii (ut tenetur) & Summo Pontifici, si quem ex determinatione, & definitione hujus Concilii eligi contingeret, humiliter, & reverenter obedire, tanquam unico, & indubitato, & vero Ecclesiæ universalis Præposito, & Pontifici Romano, conformiter aliis Principum & Universitatum Ambassiatoribus & Nunciis ad pacem Ecclesiæ, & tollendum schisma. Sextò, quòd stent ad finem conclusionis Concilii, & non recedant Ambassiatoribus aliarum Universitatum remanentibus. Septimò, si mora esset tam diuturna, ita quòd non sufficerent expensæ assignatæ; significarent Universitati tempestivè, &

etiam

etiam expectent ipsius responsum. Octavò demum, quòd non assumant Ambassiatam cujuscunque absque Universitatis consensu.

Verùm quia Archi-Dux Ernestus petierat, ut Universitatis Oratores ad concilium mittendi suo quoque nomine rem gererent, hinc & illud monitum additum Legatis, scilicet: *Quòd tenerentur se hoc non obstante præsentare pro Ambassiatoribus Universitatis, tam in via, quàm in Concilio, & quòd supra cetera expedirent legationem Universitatis.*

Abiêre his acceptis Doctores nostri, à quibus brevi acceptæ sunt literæ, quas M. Joannes Fluck tunc Universitatis Rector convocatis Doctoribus recitavit, earúmque sinopsim referunt Acta Facultatis Artium his verbis: *Secundâ Julii lectæ sunt in Congregatione Universitatis literæ eidem missa à Concilio, in quibus continebatur. Primò, quòd duo pro Papatu contendentes (intellige Benedictum & Gregorium) declarati sint Fautores schismatis, votifractores, & notorii hæretici, & quòd inepti sint ad Papatum ; imò ad omnem Ecclesiasticam dignitatem, & quòd nullus Christi fidelium ad ipsorum obedientiam obligaretur. Item quòd die S. Viti Cardinales intrâssent conclave ad eligendum unicum, & indubitatum Romanum Pontificem. Etiam continebant hæ literæ, quòd Ambassiata Regis Arragoniæ, & Regis Castellæ, & Domini Benedicti, & sui conciliabuli, & Magistri de Rhodis, & Magister de Rhodis ipse per se esset ibi, & quòd Ambassiata Regis Arragoniæ instaret ad faciendam sanctam unionem. Item quòd tunc præsentialiter essent in Concilio octingenti Doctores & Magistri ex parte diversarum Universitatum, & Prælatorum, & Principum, & quòd Principes informarentur de publico mandato mittendo.*

Perlectis his literis Principes adiit Universitas, à quibus per Frisingensem Episcopum responsi id retulit, missuros eos cum mandatis Nuncios, interim expectarent

rent Universitatis Oratores, nec è Concilio recederent; quod & ad eos perscriptum.

16. Julii delatæ sunt literæ Oratorum nostrorum ad Universitatem, quibus significârant 26. Junii concorditer & unanimi 23. Cardinalium consensu electum esse in Summum Pontificem M. Petrum de Gandia, aliàs Petrum Philargi (sive ùt rursus alii volunt Philareti) dictum, in Theologia Doctorem sui ævi maximum, qui dein Alexandri V. nomen suscepit. Suasêre præterea iidem in literis suis, ut cùm Neo-electus Pontifex ac Cardinales omnes singulari favore prosequi hanc Universitatem nostram videantur, ingentémque de ea opinionem habeant, ut quàm citissimè ad obtinendos favores novos ad eundem Rotulus expediatur; útque denuo admoneatur per Universitatem Princeps, ut Alexandro Summo deinceps Pontifici adhæreret, quod etiam per Rectorem cum sibi adjunctis Doctoribus factum est.

His quasi novis stimulis excitata Universitas Rotulum confecit, cujus præter favores à privatis hominibus, Doctoribúsque petitos, capita erant sequentia, scilicet, de Conservatorio privilegiorum suorum impetrando, de absentia Beneficiatorum, & de ampliori Jurisdictione Rectoris in omnes Universitatis Alumnos, ac potissimum Clericos; traditúsque est Rotulus ad Pontificem deferendus M. Henrico de Kizbichl Juris Canonici Doctori, & in Artibus Magistro, aliunde ob certa negotia ad Concilium ituro, cui in itineris socium Universitatis è consilio datus est M. Matthias de Walseè.

Cùm adeò per Universitatem, ejúsque Oratores laboratum hoc anno sit Pisano in Concilio, ut pax quiésque rediret Ecclesiæ, non minor ejusdem conatus quoque extitit, ut res per Austriam Fratrum æmulatione turbatas componeret; cúmque variè hoc gravi in negotio ea desudâsset, ope tandem ac consiliô Domini Episcopi Tridentini olim Universitatis hujus Cancellarii

cellarii communia totius Patriæ vota expleta ſunt. Miſertus nempe Vir optimus tot civium miſerè pereuntium (etſi ipſe Friderici juſſu captus Viennæ detineretur) Principum tandem eò animos voluntatésque flexit, ut utraque ex parte Viri tam armorum, quàm civilium rerum periti ad conciliandos Fratrum animos in certum modum ac rerum capita convenirent, Arbitro totius cauſæ Sigismundo Hungariæ Rege, aut ſi is onus hoc in ſe recipere recuſaret, Friderico Nierenbergenſi Burggravio delecto. Indictus igitur eſt conventus Baronum ac Principum ad Feſtum Epiphaniæ, in quo, cùm ſpectare ad pacem viderentur jam omnia, miſſi à Sigismundo Oratores advenêre, qui Regis juſſa atque arbitrium attulêre in hunc modum: ut cives Viennenſes utrique Principum Leopoldo ſcilicet, & Erneſto fidem ſecundùm jura, quæ quilibet haberet, jurarent, ac ſingulari ſe jurejurando Alberto ejus nominis V, tanquam vero legitimóque Domino ſuo obſtringerent, promisítque operam ſe daturum, ut turbatum deinceps nemo Auſtriam eat, bellúmque in eos ſuſcepturum, qui novæ litis atque diſcordiæ autores extitiſſent. Sic pax demum tranquillitásque patriæ rediit, quam tos civiles motus fraternáque odia tanto tempore exercita concuſsêre. Subiêre poſtliminio urbem hanc Leopoldus ac Erneſtus, tum verò & Fridericus utriusque Germanus, ubi eodem hoc anno Provincias inter ſe partiti ſunt, de qua diviſione cùm multa apud alios ſcriptores Lector inveniet, nihil hìc à me brevitatis ſtudioſo dicendum putavi. Hæc dum pro publico bono agerentur, literæ quoque Univerſitati ſunt redditæ à Baronibus de Liechtenſtein, aliíſque Bohemiæ proceribus, qui impensè orabant, ut ad liberandum Dominum Epiſcopum Tridentinum de Univerſitate non minùs quam tota Auſtria optimè meritum omni quo poſſent ſtudio apud Principes agerent. Quibus acceptis illico M. Joannes Verwart, & M. Paulus Deckinger delecti ſunt, qui hunc in ſe laborem ſuſciperent

ſciperent, Ducésque audirent, à quibus tamen Friderico ſua in ſententia perſiſtente nil effici potuit.

Hoc eodem anno inſtituta eſt, & erecta Univerſitas Lipſienſis in Miſnia, ùt autor eſt Trithemius, & Spondanus; cujus initia atque originem ad Huſſii ſequaciúmque ſuorum perditiſſimam hæreſim referunt. Perterritus nempe haud leviter Joannes Huſs Univerſitatis Pragenſis fulmine, quo Wicleffiſtarum errores feriit, circumſpectè jam agere omnia, privatis tantùm in colloquiis venenum ſpargere, ad dolos, quorum mirus erat artifex, ſeſe convertere, omníque ad propagandam hæreſim occaſioni intendere. Verùm, cùm haud parum Germanorum ſibi obſiſtere ingenia videret, hanc eos deprimendi viam molitus eſt. Fuerat is à prima Univerſitatis Pragenſis inſtitutione conſtans, multorúmque annorum conſuetudine firmatus uſus, ut tres externæ Nationes tria diſtincta in Doctorum conventu ſuffragia, unum Bohemica ſolum Natio ferret. Iniquum id, parúmque decens Joanni Huſs viſum eſt: quare Wenceslaum ſegnem, parúmque futuri providum Regem adiit, faciléque impetrat, ut Bohemica Natio reliquas omnes & ſuffragiis ferendis, & percipiendis commodis, aut æquaret, aut etiam vinceret. Hinc externi Magiſtri privilegia juráque violari omnia palàm conqueſti, cùm tuendæ autoritatis ſuæ modum haud invenirent, cúmque à Bohemis publicis etiam in viis & lapidibus, & calumniis impeterentur, unanimi conſenſu Pragam deſerunt tantô numerô, ut Trithemius duo millia Magiſtrorum & Scholarium uno die Pragâ exiiſſe memoret. Convenêre pars maxima eorum Lipſiam Miſniæ in Urbem, è quibus Pragenſis quaſi Univerſitatis ruinis, Lipſienſis hoc anno Univerſitas exſurrexit autoritate etiam Apoſtolica tum approbata. Alii novis quaſi Coloniis Erfordienſe auxêre ſtudium, alii Viennam confugerê. Non tamen tam aſtutè virus ſuum celare Joannes Huſs poterat, quin illud quandoque palàm

evome-

evomeret, quare querelis graviſſimis bonorum omnium Alexandro Summo Pontifici accuſatus, ab eodem hoc etiamnum anno damnatus eſt.

Anno 1410. mortuus eſt Dominus Bertholdus Epiſcopus Friſingenſis Univerſitatis noſtræ alumnus, Leopoldi Archi-Ducis Cancellarius, cujus ut exequia ſolenniter ab Univerſitate peragerentur, cognati, amícique ejus rogaverant. Verùm quia publicè juſſu Pataviensis Epiſcopi denunciatus uno aut altero abhinc anno fuerat, ob motus publicos, turbatámque malè Auſtriam, quorum ſautor ab aliquibus credebatur ob nimium in Leopoldum Archi-Ducem ſtudium, hinc ab eis celebrandis ſuperſedendum eſſe videbatur, donec certior fieret Univerſitas eum ante mortem ab hac Eccleſiæ cenſura abſolutum fuiſſe. Artium tamen Facultas candelas ad ejusdem exequias liberaliter conceſſit.

Obiit hoc eodem anno Bononiæ Alexander Piſano in Concilio creatus Pontifex, die tertia Maji, poſtquàm decem Menſes, dies octo Romanæ Eccleſiæ ſumma cum autoritate præfuiſſet, uti ex actis noſtris patet, quæ eum creatum indicant anno priori die 26. Junii, quare corrigendum cenſeo Brietium, qui eum ſcribit obiiſſe menſe ſui Pontificatûs duo de vigeſimo. Perſolutis ſacris, exequiisque finitis, Cardinales Bononiæ tunc congregati numerô 17. elegerunt eidem ſucceſſorem Balthaſarem Coxum dictum dein Joannem XXII. Neapoli oriundum è mediocri familia, & Piſani Concilii maximum Autorem, qui 25. Maji ſolenni ritu coronatus eſt.

Dedit poſt electionem hanc ſuam Joannes Summus Eccleſiæ Antiſtes ad Univerſitatem noſtram ſuæ benigniſſimæ voluntatis teſtes literas, quæ 11ma Octobris ad eandem perlatæ ſunt per Dominum Antonium de Monte Catino Juris Pontificii Doctorem, quibus ſe in Chriſti Vicarium, Petríque Succeſſorem Cardinalium ſuffragiis electum ſignificat, hortatúrque Docto-

res

res noſtros ut ad Eccleſiæ unionem promovendam, quemadmodum ceperant, ſtrenuè adlaborent, benevolentiámque ſuam ac Apoſtolicæ Sedis favores longè ampliſſimos eisdem adpromittit.

His literis animata Univerſitas Rotulum Summo Pontifici mittendum decrevit, qui tamen non ſine Facultatum gravi lite expeditus eſt, aliis Facultatibus, quibus fortaſſe anguſtior res domi erat volentibus, quidquid è Nationum ſingularum, Facultatúmque membris ſumptuum colligeretur, ad commune Univerſitatis ærarium referendum, cujus dein expenſis omnium Facultatum nomine Nuncius mitteretur, dum ex adverſo Facultas Artium Pariſienſis Academiæ conſuetudines, hujus verò noſtræ, quæ ad illius normam inſtituta eſt, per plures annos conſtantem uſum, ac præcipuè Friſingenſis olim Epiſcopi latam ſententiam opponens, inſiſtere juri ſuo, delectúmque à ſe Nuntium mittendum contendit. Cùm longiori tempore utrimque lis protraheretur, conventum tandem eſt in ſequentem modum.

Quod pro iſta vice Facultas Artium eligeret Nuncium, & ei provideret de expenſis, & quòd iſte Nuncius faciat computum Facultati, & non Univerſitati de perceptis; pecunia verò reliqua, quæ reciperetur à ſuppoſitis aliarum Facultatum, deberet cedere in quosvis uſus Univerſitatis, ut pro extractione privilegiorum, & aliorum, quibus Univerſitas indigeret, ſic tamen, quod Nuncius, qui mitteretur cum Rotulo, deberet etiam diligenter laborare, ad expediendum facta concernentia Univerſitatem, & ſi aliquid pro expeditione talium exponeretur; aut ſi poſt expeditionem Rotuli ipſum in Curia pro talibus diutius remanere oporteret, quòd tales expenſa computarentur Univerſitati. & non Facultati.

Poſt quæ utrinque inita, & aprobata in Nuncium delectus ab Artium Facultate eſt M. Joannes Verwarti, cui adjunctus eſt M. Andreas Mauſer aliunde ſuis in negotiis

gotiis Romam iturus, quorum cuilibet singulariter Facultas commendaverat, ut præter Rotuli communis negotia id quoque sedulè apud Summum Pontificem ageret, ut stabilem deinceps mittendi Rotuli ordinem, modúmque aliarum Universitatum ex usu præscriberet.

Hæc dum pro emolumento suo strenuè ageret Universitas nostra, ingens malum vexavit Austriam, Epidemica scilicet lues, quæ funeribus domos ferè omnes impleverat; ob quam Bursæ studentium plurimæ desertæ, incolísque vacuæ videbantur. Deseruit & ipse Archi-Dux Albertus Viennam, inque arcem Starrenberg melioris aëris, servandæque valetudinis causâ secessit; unde à Reinberto de Walseè rursus alio, nescio quo prætenso colore brevi deductus est, omniúmque Austriæ procerum conventus indictus, ut Archi-Dux pubertatis jam annos consecutus è Leopoldi tutela, qui sibi jus in Austriam arrogare visus est, eximeretur. Poterat ea unius hominis audacia, Procerúmque nonnullorum immodicus in Principem suum amor nova per Austriam excitare incendia, multò prioribus perniciosiora, at nè id eveniret, provido potiùs Dei quàm hominum consilio factum est, qui Leopoldum tam Austriæ populo tam invisum è vivis insperatô fatô exturbavit. De quo sequenti anno referemus.

Obiit hoc eodem anno Rupertus Romanorum Rex, cui successit Electorum suffragiis Jodocus Barbatus Moraviæ Marchio, etsi Romanus Pontifex plurimùm ad subrogandum jam tunc Sigismundum Hungariæ Regem Germaniæ Principes adhortaretur, Verùm non diu hac dignitate eidem frui licuit; mortuus enim eo adhuc anno Rupertus est, eíque suffectus dein Sigismundus.

Annô 1411. 13. Maji Leopoldus, qui hucusque Tutoris nomine Austriam administravit subitô fatô occubuit, ebulliente per os & nares sanguine suffocatus, sepultúsque est Viennæ ad S. Stephanum, ubi

Frater

Frater Ernestus eidem justa persolvit. Inopina hæc mortis nuncia cùm Egenburgam, ubi Nobilium comitia celebrabantur, perlata sunt. Unanimi consilio Albertus Viennam deductus, ac Præconum vocibus verus legitimúsque Austriæ Dominus est promulgatus, ingenti sanè populi totius lætitiâ, obviámque ei procurrente Clero omni, Universitatísque Doctoribus.

Ortæ sunt hoc tempore non leves rixæ studiosos inter & Gerdones, quorum è numero unus à Scholaribus est occisus: Universitas graviora inde mala eventura metuens Consulem civésque adiit, petiitque, ut, donec rei debitâ pœnâ mulctarentur, suos Senatus Civicus ab omni in studiosos injuria cohiberet; promisêre quidem id liberaliter cives, at præstitêre nunquam, verberibus nempe, armísque lædere ac sauciare studiosos, si quos in via deprehendissent cerdones, calumniis afficere, dies noctésque insidiari pergebant, nec aliud medium opportunius visum est, quàm ut Albertus Archi-Dux, cùm recepto è more ab Universitatis Doctoribus salutaretur, de civium quoque perfidia, ac furore admoneretur; quod cùm factum esset, gravissimis ille dein minis petulantissimorum hominum audaciam infregit, pacémque Universitati ejúsque Alumnis restituit.

Grassari Viennæ hoc eodem tempore & Hussitarum Wicleffistarúmque virus inter cives maximè, cœperat, unde ab Officiali Passaviensis Episcopi, quidam in carcere detenti, denunciati alii, ac præcipuè civis quidam nomine Giesser, cujus maximè causâ Senatus Civium consilium ab Universitate petiit, quid sibi agendum censeret, eò quòd is de certis articulis fidei accusatus, postquam eosdem revocâsset, nunc denuo ab Officiali in carcerem & vincula compingeretur. Respondit Civibus Universitas nisi novi erroris reus convinceretur civis ille, videndum esse, ut eum Officialis è carcere dimitteret, aut certò ad Passaviensem Episcopum rem omnem deferendam, quod dein factum

ctum intelligo. Pupugit hoc Doctorum nostrorum Officialem, qui inquisitoris simul in hæreticos munere fungebatur. Palàm debacchari in Universitatem auditus est, diceréque, eam contra Inquisitionis officium peccâsse graviùs, Hæreticorum illam fautricem esse, siique per annum eo in proposito persisteret, excommunicationis esse sententiâ feriendam. Quæ tamen dein, cùm à nostris Doctoribus jussu Rectoris adiretur, à se dicta vel negavit, vel ita retractavit, ut pax ad speciem saltem utrimque redire visa sit.

Obiit hoc eodem anno M. Joannes Verwart in itinere, quo cum Rotuli expeditione Româ redierat. Vir ob præclarè gesta munera, eruditionem, obitásque ad varios legationes multùm de Universitate meritus, cui ea etiam, quemadmodum Facultas Artium, solenniter parentavit, statímque Florentiam missus est Lector Augustinianorum, ut literas, résque à Magistro Joanne ibidem relictas ad Universitatem referret.

Annò 1412. Joannes Papa crucem adversùs Ladislaum Siciliæ Regem promulgari jubet, cujus meminêre etiam Acta Universitatis nostræ his verbis: *Ipsâ Dominicâ Reminiscere congregata est Universitas ad audienda aliqua per Dominum Decanum Ecclesiæ Pataviensis, Notarium Papæ, & quendam Italum Licentiatum in Jure Canonico suum Collegam ex parte Domni Apostolici Domini videlicet Joannis XXIII. proponenda. Et proposuit dictus Dominus Decanus cum suo Collega, quem etiam in Bullis suis & literis Universitati directis Joannes Pace nominat, quomodo Dominus Ladislaus Rex Appuliæ notorius Hæreticus, & Ecclesiæ Sanctæ persecutor tot vicibus intentet Ecclesiam Dei Sanctam molestare, & suum errorem in Concilio Generali Pisano hæreticum deputatum ad urbem Romanam inducere: & plures alios Articulos prædictus Decanus prolixè in Universitate proposuit, propter quos præfatus Dominus noster Papa verbum vivificæ Crucis*

contra præfatum Regem prædicari decrevit. Præterea etiam Decanus petivit, & requisivit Universitatem, quatenus in hujusmodi Crucis prædicatione Universitas vellet adstare sibi consiliô, & auxiliô, & favore, intra se, & sua supposita, & intra alios, signanter tamen versùs Principes Austriæ. Et ita placuit Universitati, quòd Dominus Rector eligeret, quoscunque vellet, de quacunque Facultate, qui sibi assisterent nomine Universitatis prout deputavit pro posse.

Ex quibus liquet, quanto in pretio tum apud Romanorum Pontificem, tum alios fuerit Universitas hæc nostra, ad quam etiam in remotis longè caussis ille literis recurrit, cujus quoque alii Ecclesiasticâ dignitate præeminentes tam sollicitè & consilium, & opem imploravêre. Nullam tamen sacri belli expeditionem à Joanne in Ladislaum susceptam esse constat ex Spondano & aliis, nam eo adhuc anno fœdus inter utrumque ictum est.

Dum verò Crux prædicaretur adversùs Ladislaum, omnibúsque Christi fidelibus indulgentiæ eædem concederentur à Joanne, quas arma sumentibus in Barbaros priores Pontifices indulsêre, mirum est, quàm acriter adversùs eas Pragæ Joannes Huss insurrexerit, quótque motus civerit; quibus tandem perculsus Wenceslaus, ac præcipuè literis Joannis, Romaníque Concilii hoc anno habiti permotus, quòd errores Wicleffistarum ac Hussii damnavit, novarúmque harum opinionum sectatores expelli Regno jusserat, eum tandem exire Bohemiâ compulit, nihil eo pulso quiescentibus ceteris hæresis jam venenô, perversóque dogmate imbutis.

His intestinis malis dum Pragensis laboraret Universitas, eorundem quamvis immeritò arguebatur hæc nostra. Datæ enim ad Rectorem nostrum à Decano Pataviensi, dictóque Pontificis ad eum Nuncio, quem PAGE dicebant, sunt literæ, in quibus Universitatem ingentis negligentiæ insimulabant, eámque occultè

hæ-

hæreticam Wicleffique erroribus conſpurcatam (quemadmodum jam ad alios, ac etiam Principes Viros hæc ab ipſis ſparſa ſunt) dicebant, eo quidem potiſſimum argumento innixi, quòd, ut rebantur, de Cruce contra Ladislaum ſignandis malè ac perversè Principem erudiiſſent. Non tulit hanc ſibi turpiſſimam labem aſpergi Academia noſtra, quam hactenus ſemper ſummè deteſtata eſt, ac contra quàm, ùt videbimus ſequentibus annis, acerrimè quoque ſemper depugnavit. Quare eodem è coacto Doctorum conventu unà cum Rectore delecti aliqui, qui Principem Albertum adirent, qui adverſus malevolos opem illius implorarent, peterentque ut datis ad Summum Pontificem Joannem literis Innocentiam, induſtriámque, qua ad perficienda ſanctæ Sedis juſſa deſudaverat Univerſitas, teſtaretur.

Anno 1413. Romanorum Rex Sigismundus in Italiam venit ad componendam litem, quam Dalmatiæ causâ cum Venetis gerebat, qui cum Joannes illico per Legatos ſuos, & de pacanda Italia (nam Ladislaus rupto fœdere rurſus hoc anno Romam occupaverat) & de Concilio proximè pro tranquillitate Eccleſiæ habendo agere cæpit: conventúmque tandem eſt operâ Antonii de Chalanto tit. S. Cæciliæ Presbyri, & Franciſci Zarabellæ Patavini tit. S. Coſmæ & Damiani Diaconi Cardinalium, ut illud Conſtantiæ celebraretur, poſt quod & Joannes Pontifex, & Sigismundus Romanorum Rex ad plurimas Provincias literas ſuas dedêre, quibus Chriſti fideles ac præcipuè aut Eccleſiaſtica dignitate, aut doctoratûs inſignes Viros ad id celebrandum invitarunt, pervenerê & harum aliquæ ad Univerſitatem noſtram, quarum Acta ad præſentem annum his verbis mentionem faciunt.

18. Maji ſub Rectore M. Theodorico de Hammelburg congregata eſt Univerſitas ad audiendam Bullam ſanctiſſimi in Chriſto Patris, ac Domini noſtri, Domini Joannis XXIII. miſſam Univerſitati, qua audita fuit, &

& sonabat, de Concilio faciendo in principio mensis Decembris ejusdem anni; sed non fuit locus expressus. Similiter continebat etiam Bulla. quod infra tres menses deberet exponi etiam locus Concilii, & hortabatur Dominus Papa Universitatem, quatenus velit Nuncios suos mittere ad Concilium, ad quod negotium pertractandum deputati sunt à singulis Facultatibus.

Verùm etiam ad hunc annum ex his literis indictum fuisse Concilium patet, illud tamen non nisi sequenti primò anno inchoatum est, ob Pontificem Joannem Italiæ bellis, aliisque gravissimis curis detentum.

Anno igitur 1414. 24. Julii literæ invitatoriæ ad Concilium Constantiense à Pontifice Joanne ad Universitatem nostram datæ, quæ duo potissimum continebant, ut rursus Acta nostra loquuntur.

Primò hortabatur eam, quatenus mitteret solennem Ambassadam, seu Oratores ad Concilium proximè celebrandum in Constantia. Secundum fuit, quod Universitas notificaret, & intimaret Prælatis Austriæ Ducatûs celebrandum Concilium pro his, quæ incumbunt universali Ecclesiæ, & quod hortaretur eosdem, quatenus & ipsi personaliter dignarentur interesse, aut mittere suos Oratores. Ad quod etiam Universitas illico mittendos Doctores quosdam statuit, útque eisdem de congruis sumptibus provideretur, à singulis Magistrorum, scholariúmque certam pecuniæ summam exigendam decrevit. Accessit præterea cum nonnullis Doctoribus Rector, qui tum erat M. Joannes Fluck, Albertum Archi-Ducem, hortatúsque est, ut futurum Concilium omni studio promoveret, suósque ad idem oratores mitteret, quod & Principi Ecclesiæ bono studiosissimo haud difficulter persuasit.

Accepit & brevi post alias quoque literas Universitas, quibus Episcopus Pataviensis mitti ad Provinciale Concilium proximè à se celebrandum Doctores aliquos nostros petiit, ütque Universitas admoneret, quæ tam in hoc, quàm in subsequenti generali Con-

cilio

cilio agenda, tractandáque putaret: annuit precibus Præsulis Universitas, statímque M. Mathiam de Walsee, M. Ulricum de Patavia, M. Theodoricum de Hammelburg delegit, qui proponenda utrobique discuterent, eáque Passaviensium Antistiti significarent.

Quibus ritè peractis 29. Septemb. electi sunt ab Universitate Oratores ad Concilium mittendi M. Petrus de Pulcka Doctor Theologiæ, & Dominus Gasparus Doctor Decretorum, & ordinarius Lector in jure Canonico. Statutúmque est, quod si alii quoque Magistri aut Doctores ad Concilium suis sumptibus proficisci vellent, séque oratoribus Universitatis adjungere, id quidem fas illis esset, eo tamen pacto, ut non secus ac Oratores ipsi in certa Universitatis jussa jurarent.

Venit hoc eodem anno Constantiam Joannes XXIII. 28. Octobris summo cum honore ibidem receptus, qui 1. Novembris in Festo SS. Omnium ad aras solenni ritu Missam fecerat, Conciliique Patres, qui tunc congregati erant, gravi sermone allocutus ad procurandæ tranquillitatis in Ecclesia studium, Wicleffistarúmque perturbandos errores excitabat: statímque ministri futuri Concilii designati sunt, quæ prima tum sessio fuit, ac verius sessionum reliquarum præambulum, ùt Spondanus observat. Cùm enim Sigismundus Imperator Aquisgrani coronatus non ante Nativitatis Festa Constantiam advenerit, multíque etiamnum deessent Antistites, altera ejusdem Concilii sessio ad 5tum sequentis Anni Martium dilata est.

Suspensô hac ratione tantisper Conciliô, Constantiam quoque hoc anno adiit Joannes Huss, literis Sigismundi Imperatoris securior, quibus ei commeatûs securitatem spondebat, eâ quidem arrogantiâ, fiduciâque, ut libellum palàm edere non dubitârit, quo omnes adversarios suos ad hoc Constantiense Concilium provocabat ad se erroris convincendum, omnésque se Hæresiarchis debitas pœnas subiturum lubenti ani-

 mo

mo ultro pronunciavit, si hæresis labe contaminatus probaretur. Aliâ nempe larvâ Concilii locum adiit, qua mente esset; nam errores spargere clanculùm deprehensus, cùm fugâ subducere se Pontificis judicio vellet, in vincula & carcerem conjectus est.

Hic dum Hæresiarcha arctiori custodiæ traderetur, liberius, ac impunè prorsus illius asseclæ per Bohemiam virus pestilens spargebant, primis illius erroribus novos, & fors ad speciem, rudiorísque plebeculæ arbitrium minùs perniciosos, quorum Princeps erat Petrus Drestensis, pariter exul ob Joannis Hæresin, quam hauserat, qui utriusque Eucharisticæ speciei sumptionem ad salutem necessariam nimium credulis & asseruit, & persuasit. Quorum tamen dogmata dein censuris gravissimis fulminata videbimus.

Hæc dum ad communem Christianæ Reipublicæ quietem agerentur, nova tempestas Universitatem Viennensem, eáque longè periculosior, quia domestica, involvit; læsus enim, nescio quo facto, judex Civium agmine, ac armata manu Bursam studentium petiit, ut Juvenem Clericum in publicos carceres non admonito delicti Rectore Universitatis deduceret. Concurrêre armatæ undique & studiosorum cohortes, vim vi ut repellerent; jámque seditio aperta, civiléque intra mœnia bellum timebatur, cùm Rector Universitatis Pacis conservandæ studiosissimus mitigatis tandem Juvenum nostrorum animis malum prohibuit. Recessêre Universitatis alumni, illæsísque tum Civibus prædam, quam captum ierant, reliquerunt. Verùm cùm nec Doctorum monitis, nec precibus indulgendum, innato nempe indoctis erga literatos odio censuissent Cives, Juvenémque detinerent; nulla tum sanè moderatorum valuêre jussa; nulla Rectoris autoritas cohibere irritatos tantâ pertinaciâ animos potuit, quin Scholares nostri par pari redderent, Civésque impeterent. Actum non semel cum Officiali, ut Clericum repeteret, cum Civibus,

ut

ut redderent Universitatis alumnum, at sine fructu omni. Nempe malè is à Civibus habitus, nec uno solùm vulnere læsus inter carceris squallores non antè vincula, quàm vitam posuit. Vix de morte adolescentis admonita fuerat Universitas, cùm ad Albertum Principem Rector cum suo Consilio ablegatus est, qui peteret aut conservari Jura, privilegiáque à majoribus suis concessa, aut id si nollet, discessuros Doctores omnes (ita enim obfirmatis tum erant animis) dissolvendámque die una Universitatem indicaret. Petiit his auditis Princeps Privilegia sibi Academiæ nostræ exhiberi, quæ etiam ex Originali descripta eidem oblata sunt, tum verò etiam utriusque partis querelas in chartam conjectas, quas cum Aulæ suæ Consilio discuteret, sicque pacem Cives inter ac Doctores nostros Universitatísque alumnos restitueret. Quæ, dum non segniter pertractantur, Universitas interim Judicem Civium pro excommunicato palàm habere, quod Clericum carceris atrocitate, vulneribúsque enecâsset, subterfugere illius consortium, nec ad solennia è more sacra statis diebus ad S. Stephani convenire, si Judicem, sociósque criminis cives ibidem esse intelligeret. Pacem tandem integram Principis edictum dedit, quo coërceri à Judice Cives, ab Universitatis Magistratu alumnos literarum arctiùs jusserat, útque utrique parti & illatæ, & acceptæ condonarentur injuriæ, nec Cives violare deinceps Universitatis Privilegia audeant, edixit.

Anno 1415. 2da Martii secunda habita est sessio Concilii Constant. in qua cum perurgeri se Joannes ad Cessionem tanquam unicum recuperandæ in Ecclesia pacis & quietis medium cerneret, flexis genibus ante altare, manúque admota pectori spopondit, vovit, ac juravit, restituturum se pacem Ecclesiæ per cessionem suam, eámque opere ipso se completurum, si Benedictus XIII. & Gregorius XII. Papatui quoque aut per se, aut per suos oratores renunciarent, ingenti

 sanè

ſanè hæc Concilii totius lætitia audita ſunt; ſed breve id gaudium gravior ſecutus dolor interturbavit; pœnitens enim brevi facti ſui Joannes 21. Martii ope Friderici Ducis Auſtriæ clam diſſimulato habitu Conſtantiâ profugit, ſéque Schaffhuſiam in dicti Ducis oppidum 4. Leucis Conſtantiâ diſtans recepit, inde Loffenburgum ſe primò, ac tandem Friburgum, quod ſub ejusdem Friderici ditione fuerat, ſe contulit, mox ad Burgundiæ Ducem abiturus.

Haud dictu facile eſt, quàm inopinata hæc Joannis fuga Concilii Patres concuſſerit, qui jam diſceſſum, Conciliíque diſſolvere ſeſſiones meditabantur, niſi eos Sigismundi Cæſaris conſtantia, autoritásque retinuiſſet: Decreta igitur in Fridericum pœna à Sigismundo, quod Concilium turbare auſus eſſet, ſubditíque ejus fidelitatis ſacramentô abſoluti, ac hoſtes vicini ejus ditionibus immiſſi, qui oppida atque arces plurimas vi agreſſi, ingentem undique terrorem intulêre. His igitur non leviter perculſus Fridericus, atque à Ludovico Bavariæ Duce perſuaſus Conſtantiam repetiit, ibique veniam petiit, ac obtinuit, auri non levi ponderis ſummâ mulctatus. Pari ratione exterritus eſt Joannes, qui cùm quæſtionem de ſuis criminibus movendam in Concilio ſuſpicabatur, paratiorem ſeſe ad abdicandum Pontificatum exhibuit, paulóque pôſt à Friderico jam Regi, Conciliíque Patribus conciliato traditus eſt, poſteáque exautoratus publica Concilii è ſententia.

Dejecto Pontificis dignitate Joanne, Gregorius quoque Oratorem miſit ad Concilium, Carolum ſcilicet de Malateſtis, qui ejus nomine Pontificatum reſignaret, quod & factum eſt, applaudente, gratulantéque bonorum omnium animo, quo quidem præclaro facto, ut arbitror, labem omnem, quam ob retinendæ dignitatis ſtudium ei adverſarii objiciunt, abunde deleſſe Gregorium cenſeo. Unus adhuc, iſque maximus labor ſupererat in Petro de Luna ad ſimilem ceſſionem

indu-

inducendo, qui tamen multis artibus Patrum opinionem fefellit, ùt inferiùs patebit.

Composita hac ratione, qua fieri tum poterat Pontificum lite, ad Wicleffistarum, Bohemiæque Doctorum errores extirpandos Concilium toto conatu incubuit; Productus igitur in Patrum consessum Joannes Huss, pertinaciæque damnatus flammis addictus est. Hieronymus Pragensis, qui fide publica Constantiam venerat, malè sibi conscius fugam arripuit, sed & ex ea retractus vincula & carcerem subiit. Denique decretum hoc eodem anno à Patribus, statutúmque est, nè per Bohemiam, Germaniámque reliquam utriusque speciei usus, quem Petrus Drestensis, aut ùt alii volunt Dresdrensis pertinaciter ad animæ salutem necessarium asserebat, ulli Christi fidelium concederetur, qui Layci, nec Sacerdotali dignitate præditi essent.

Rediit hoc anno 1. Maji è Concilio ob gravissimas causas etiam ab Universitate approbatas M. Gasparus Meislstein Juris Canonici Doctor egregius, relictô ibidem M. Petro de Pulcka, qui tum ipse, tum etiam M. Petri literæ ad Universitatem scriptæ admonebant, litem proximè Universitati Constantiæ movendam à Præposito Pataviensi Wenceslao, ejúsque Collega PACE, quorum superioribus annis meminimus, qui palàm tunc jactabant, per se effectum iri, ut omnes Germaniæ Universitates, quas privatas tantùm scholas vocitabant, tollerentur per Concilium, ac præcipuè nostra hæc Viennensis, quam & iidem ceu hæreticam, Pontificisque jussis refractariam accusabant; quòd ejusdem Bullam de Cruce populo prædicandam, ùt ad annum 1412. à nobis insinuatum est, protervè rejecerit, pessimè sit interpretata, ac etiam Principes Austriæ, nè ad votum suum succederent omnia, fuerit dehortata. Non deerant his auditis Universitati nostræ, quibus se ab objectis purgaret. Missa quàmprimùm M. Petro de Pulcka Privilegia, Bullæque Alberti V. & VI. Summorum Pontificum, quibus ille

ille Universitatem hanc nostram primitus erexit, hic confirmavit. Adjectæ Juris Canonici Doctorum interpretationes Bullæ Joannis XXIII. qua crucem in Ladislaum Regem promulgari mandaverat, Principis etiam Alberti literæ impetratæ ad Concilium, quibus à tali labe Doctores nostros purgaret. Denique collatô cum nostris Doctoribus, qui Constantiæ tunc erant, consiliô, scilicet cum M. Nicolao Dinckelspichl, & M. Henrico Kyzbichl, Alberti V. Austriæ tum Archi-Ducis ad Synodum Constantiensem Oratoribus, aliísque, quorum non pauci ex Viennensi Universitate illuc confluebant, eo brevi rem deduxit M. Petrus de Pulcka, ut adversùs obtrectatores triumpharet Academia nostra, Accusatorésque ipsi palàm rei delati per nos fuerint, quòd Joannis tum Pontificis malè literis & autoritate sint abusi.

Sed parùm credebat Universitas nostra se adversùs malevolorum duntaxat invidiam, obtrectationésque tueri, nisi & favores novos à Concilii Patribus obtineret, hinc monitus M. Petrus, impetratis etiam ab Alberto super hoc literis ad Constantiensem Synodum, ut Universitatis nostræ Rectori eam in omnes Clericos intra urbis nostræ mœnia literis vacantes potestatem, autoritatémque obtineat, qua gravissimis quantumcunque eorum delictis & pœna statui ab eodem possit, & medella. Impetravit præterea ab Alberto Universitas eodem tempore, ut subjudicis eligendi sibi non solùm potestas fieret, cui in Laicos, qui Alumnos Viennensis Academiæ temerè læderent, potestas, arbitriúmque esset; sed ut Privilegiis ille Universitatis haud secùs quàm alii ejusdem vel Alumni, vel Ministri, gauderet.

Annô 1416. in Concilio Sessione XXI. præside Joanne Cardinale Ostiensi, ad sacrum Patrum consessum inductus est Hieronymus Pragensis, qui quidem priori anno hæresim abjuravit, sed eandem rursus assumpsit, sæpéque auditus, cùm satisfacere non vellet, Synodi

nodi sententiâ tanquam obstinatus, relapsúsque damnatus est, ac potestati seculari traditus flammis scelus suum expiavit.

Fuit quoque hoc anno congregata Universitas hæc nostra ad cogitandum de modo colligendi pecunias M. Petro de Pulcka Constantiam transmittendas, quarum cum magna Universitatis in ærario penuria esset, accedi Princeps à Rectore debuit, rogaríque, ut à remanentiis Universitatis sumptus necessarios sufficeret, ac quia eodem quoque tempore Civium, Laycorúmque petulantiâ compiures Scholarium nostrorum graviter læsi fuerant; hinc & Alberto Archi-Duci supplicatum, ut operis, plebíque arma deinceps nè gerant, prohiberet, quod & habito cum suis consilio facturum se spopondit.

Annô 1417. Concilii Constantiensis Sessione XXXII. quæ primâ Aprilis habebatur, Petrus de Luna, qui Benedicti hactenus sibi nomen usurpaverat, postquam multis artibus Concilii Patres fefellisset, nec citatus ad concilium comparuisset, publicâ Synodi sententiâ à Pontificatu dejectus est, ejúsque in locum de alio substituendo agi cœptum. Octavâ igitur Novembris Cardinales conclave ingressi 11. ejusdem mensis in Summum Pontificem elegerunt Othonem de Columna Romanum ex nobilissima Columnensium familia, Diaconum Cardinalem tit. S. Georgii in Velabro, annum cùm ætatis ageret jam propè quinquagesimum, qui 20. dein Novembris à Joanne Episcopo Ostiensi in Presbyterum, & sequenti die in Episcopum consecratus, per Raynaldum deinde Cardinalem Brancatium Archi-Diaconum solenni ritu coronatus est. Venêre electionis hujus indices literæ ad Universitatem nostram à Constantia missæ mense Novembri die 20. quæ Martini V. nomen quoque assumpsisse Pontificem neo-creatum significabant, ob reverentiam S. Martini Episcopi, cujus festa luce ad supremum Ecclesiasticæ dignitatis fastigium fuerat evectus. Acceptum id sanè nun-

cium

cium ingenti fuit omnium Doctorum, Universitatisque lætitia, quæ ad gaudium suum sincerissimum apertiùs declarandum proximo opportuno die in S. Stephani Ecclesia Ambrosianum Hymnum, Missámque de Sanctissima Trinitate decantari solenni ritu decrevit.

Dum pro concordia strenuè Patres in Concilio desudarent, tumultuatum interim hoc anno graviter crudelitérque est in Bohemia à Joannis Hussii asseclis, qui ejusdem & Hieronymi Pragensis suppliciô irritati ad triginta prope millia confluxerant, in Ecclesias, ac Monasteria ferro & igne, omnique crudelitatis genere sævientes ita, ut vix vitæ periculum ipse Wenceslaus Rex sacerdotis cujusdam favore ac beneficio effugeret. Accessit insano huic plebis furori novus quodammodo fomes per Pragensis Universitatis declarationem palàm editam, qua ad utramque speciem à Constantiensi, ùt falsò dicebant, Concilio approbatam, Christiano è more, ac Christi jussu sumendam, singulos adhortabatur Pragensis Rector, vulgò Joannes Cardinalis nuncupatus. Mirum est, quàm ad tuendum errorem, obfirmandósque pertinaciter animos insanientis aliunde populi valuerit incauta hæc Pragensium Doctorum declaratio. Patenti paulò pòst in campo ingens multitudo (multorum námque fuisse millium Æneas Sylvius testatur) omni ex fæce hominum confluit, tercentum & ultra mensæ eriguntur in patulo, propinatúrque in gyrum impiorum manibus sacer calix, è quo, non ùt debuerant, salutem, sed nova furoris, justam temeritatis in pœnam, incentiva hausêre, quibus multis dein annis Bohemia conflagravit.

Hæc, quia secuturæ narrationi nostræ propinqua, adducere hactenus libuit, nunc ad Universitatis nostræ res hoc anno gestas redeamus, in quo lis quædam inter Facultates Juris, & Medicinæ Alberti Archi-Ducis arbitriô sententiâque terminata est. Nescio enim qua ratione

ratione ducti Juris Doctores præponere in Processionibus Universitatis publicis Licentiatos suos ausi sint Doctoribus Medicinæ, ob quod controversia orta non levis est, quæ frequentius cogi Universitatis Magistratum exigebat. Decisum est è mente Principis (nam ob turbas plures ejus negotii causâ concitatas mederi aliter turbato statui haud poterat) Magistri, ac Doctores suis ut in Facultatibus nullo interrupto per alios ordine, secundùm ætatis, qua in iisdem Doctoratûs insignia receperunt, prærogativam procederent. Et verò ad dirimendam litem omnem id sufficere debuit. Sed obstitit nonnullorum Pertinacia, quæ ubi victam se judicio vidit Principis, de Facultate Artium triumphum agere meditabatur; pugnatum cum ea (Acta refero, ut inveni) non æquo Marte, nec aperto bello, sed artibus, ac pene ex insidiis, quamvis utrumque bruto, cassóque fulmine, id est successu nullo. Coacta nempe in unum Facultate Artium Proposuit Dominus Cancellarius Principis, sibi ad concordiam inter Facultatum Doctores restituendam peropportunum videri, ut inter Magistros Artium reliquarum Facultatum quoque Licentiati immixti publicis in processionibus juxta Rectoris dispositionem progrederentur, séque ad hoc Principis facilè inducturum voluntatem promittebat. Non ignorabat Facultas Artium, id è mente Alberti Archi-Ducis minimè dici. Quare priori ejus sententiæ sibi standum arbitrata, nihil se ab aliarum Facultatum Doctoribus novi, inusitatísque admittere velle palàm edixit, daturámque se operam, cùm eadem ratio pro suis Magistris militet, quæ pro Medicorum causa jam nuper ab Archi-Duce decisa, nè ab eorum more, ac usu vel lato ungue recedat. Quo quidem responso primus ille insultus præclarè repulsus est, atqui crebrius subsequis dein annis graviúsque attentatus Facultatum inter se Doctores commisit.

Uti honoris sui retinentior, ita & communis utilitatis Alumnorum suorum studiosior hoc anno Facultas

Artium

Artium fuit. Quare cùm Rectorum, qui Bursis præerant in vespertinis disputationibus segniores aliquos intellexisset, pænam in illos statuit, legésque dictavit ad eorum coërcendam negligentiam opportunas ùt sequuntur.

Primò quod quilibet Conventor debet qualibet nocte disputare exceptis Vigiliis Apostolorum, similiter & noctibus Sabbathorum, & noctibus quas sequitur immediatè festum fori, & in noctibus ipsorum festivorum dierum. Secundò quòd quilibet conventor debet esse in mensa tempore prandii & cæna cum suis Bursalibus, nisi causa rationabilis obstaret, & si quis Conventorum neglexerit bis disputare pro bursa vel etiam semel, talis careat grosso aliàs sibi debitô, & cum hoc debet dare totam additionem sicut unus de Bursalibus, & similiter faciat, si bis aut semel neglexit esse in mensa cum suis Bursalibus. Si autem neglexit ter disputare sine rationabili causa, in pænam solvat totam Bursam, & additionem sicut unus de Bursalibus, & cum hoc careat grossô sibi aliàs debitô. Item conclusum fuit, quod nullus Conventorum disputare deberet per substitutum, nisi esset causa rationabilis; & tunc deberet Mag. Regens Bursarum per Magistrum substitutum disputare, & non per Baccalaureum. Similiter & Baccalaureus Regens bursam, deberet occurrente rationabili causa disputare per Baccalaureum substitutum. Dein etiam conclusum est, quod nullus bursalis imposterum deberet habere famulum in domo conventorum, nisi ponat bursam pro eo, & additionem sicut pro se ipso. Similiter quod nullus Conventor deberet habere aliquem famulum in bursa, nisi ponat pro eo bursam & additionem; sicut Bursalis ponit. Tota tamen communitas bursa juxta modum antiquum deberet habere duos tertianos aut unum, si ita pauci sunt, aut si multi essent, admittitur illis unus quartanus.

Hoc eodem anno Universitas literis admonita à M. Nicolao de Dincklspichl, & Mag. Petro de Pulcka Oratoribus

toribus in Concilio Constantiensi, ut Rotulum unum, aut etiam duos ad Summum Pontificem pro beneficiis impetrandis transmittat, de quo conficiendo strenuè adlaboravit, quamvis expediri is non nisi sequenti anno potuerit, ut infra videbimus. Præterea cùm circa hoc tempus obiêrit M. Joannes de Valle Oeni Doctor Medicinæ egregius, atque tum Universitatis Superintendens; M. verô Lambertus de Gelria, qui idem munus gerebat, Constantiæ in Concilio versaretur, hinc Rector cum Senatu Academico Albertum Archi-Ducem adiit, enixè petens, ut è consuetudine priorum annorum Universitas duos Superintendentes eligere posset, qui communi studio, & Principis Juri honorísque, & Universitatis commodo, tuendísque Privilegiis studerent. Verùm renuit id Princeps, qui suum sibi ipse Superintendentem nominavit Dominum scilicet Petrum Plebanum in Mergen. Quare etiam Universitas de altero deligendo convenit, & M. Paulum de Vienna ex Facultate Juridica communi suffragio ad id munus assumpsit. Circa quod admonendum censeo Lectorem hos deinceps Superintendentes ex alia semper, & alia Facultate fuisse delectos.

Annô 1418. cùm terminandum ad Pascha Constantiense Concilium, Pontificémque inde in Italiam moturum Universitas suorum Oratorum è literis intelligeret, ad expediendum rotulum contentione omni desudabat; sed impedimento fuit lis iterum à Juridica Facultate ceteris mota de Nuncio mittendo, an nimirum Facultates, ùt anteà factum fuerat, singulæ singulos deligerent Nuncios, an unus communi totius Universitatis suffragiô juberetur, communibus expensis dein Facultatum omnium ad Romanum Pontificem mittendus? diu hæc controversia Universitatis Concilium fatigaverat, nec Artium Facultate, cui se Theologia, & Medica adjunxerant, antiquo jure cedere, nec Juris Consultorum Collegio aliarum sententiæ consentiente

tiente, sicque elapsura opportuna impetrandorum novorum Privilegiorum occasio meritò timebatur; sed periculum submovit Alberti Archi-Ducis imperium, qui cùm Rectori significâsset, quàm ægrè hæc Doctorum inter se dissidia ferret, minas quoque adjecit gravissimas, nisi paucos post dies in stabilem deinceps Nuncii designandi modum Facultates convenirent. Delecti igitur illicò singulis è Facultatibus Viri egregii, qui controversiam hanc, negotiúmque componerent, conclusúmque est, ut Facultas, quæ ferendis sumptibus par esset, Nuncium mitteret, quamvis non suo unius, sed totiùs Universitatis nomine; quod & factum. Designavit nempe in Nuncium Universitatis Facultas Artium M. Henricum de Hammelburg, qui illicò Constantiam avolavit. Quàm præclarè verò ab illo res, Universitatísque negotium gestum sit, amplissima à Pontifice obtenta hoc anno privilegia, percipiendorum nempe Ecclesiasticorum beneficiorum, Jurisdictionísque, quæ Rectori suprema in omnes Universitatis Alumnos deinceps esset, docuêre.

Rediit confectô Rotuli negotiô M. Henricus Stoll de Hamelburg 21. Junii, nec multò anteà reliqui Doctores nostri, qui Concilio interesse jussi sunt, omnibúsque immensæ ab Universitate gratiæ sunt habitæ, ob rem pro Ecclesia, communique fidelium bono adeò præclarè gestam, auctámque apud exteras Nationes omnes, tum verò apud Romanum potissimùm Pontificem Academiæ nostræ famam, opinionémque de ea longè amplissimam ubique gentium procuratam.

Venêre hoc eodem anno literæ ad Universitatem ab Eberardo Archi-Præsule Salisburgensi missæ, quibus ad provinciale Concilium proximè à se faciendum Doctores quoque nostros non tam invitavit, quàm ut sibi consilio adessent, rogavit, petiítque componi sibi à Doctoribus nostris libellum quempiam, qui administrandi Sacramenta Catholico è ritu Plebanos, Curionésque pium modum edoceret, datum utrumque

est

est Pii Antistitis precibus, delectósque inter ceteros Doctores, qui ejusmodi libellum componerent, reperio M. Nicolaum de Dincklspichl, & M. Joannem Sindrami. Dum verò de mittendis quoque Salisburgum legatis, déque sumptibus ad iter hoc necessariis colligendis deliberaret Universitas, ea quoque solicitudine optimus Princeps Albertus eandem liberavit, qui, cùm quatuor ex Universitate Doctores tanquam Oratores suos ad Salisburgense destinâsset Concilium, singulari è favore id quoque Academiæ nostræ indulsit, ut iisdem causas, negotiáque sua pertractanda ibidem committeret.

Neque in hoc solo literariæ Reipublicæ commodis Clementissimus Princeps prospexit, sed & alterum beneficium adjecit, quo turbas complures, dissensionésque Magistrorum de ordine inter se servando hactenus concitatas unicô decretô suô sustulit, ac suppressit, dum nempe 21. Maji in Festo Theophoriæ eum ordinem servandum statuit, *ut in supplicatione hac publica primi irent Scholastici* (sic Acta referunt) *& Baccalaurei in artibus; post eos Scholares in Medicina, dein Scholares Juris, qui tamen omnes erant absentes, quia sciebant se non locandos secundùm ipsorum voluntatem; postea Nobiles simplices, dein Scholares Theologiæ, & post illos Nobiles & Canonici Ecclesiarum Cathedralium. Dein Magistri in artibus cum suo Decano; post illos duo Præpositi de Ungaria, videlicet Dominus Ladislaus, & alius Præpositus; dein Doctores in Medicina; postea Doctores Juris, & demum Doctores Theologiæ, & Dominus Rector Universitatis.*

Neque inter hæc privata sua negotia publici boni oblivisscebatur Universitas nostra. Supplicaverat hæc jam per Oratores suos Constantiensi in Concilio Sigismundo Cæsari, ut progredientem indies Hæreticorum per Bohemiam, vicinásque Provincias audaciam, errorésque reprimeret, mediúmque afflictæ ChristianæReipublicæ adferret. Verùm cùm invalescere indies eorum

 vires

vires, latiúsque diffundi perniciem, virúsque cerneret, Oratores hoc demum anno ad eundem destinat, qui eidem & delendæ tantæ pestis modum maturo è consilio nostris à Doctoribus inito proponerent, eúmque ad succurrendum Christianæ Reipublicæ adhortarentur.

Annô 1419. Joannes XXIII. exautoratus in Concilio Constantiensi, cùm per alterum ferè jam annum in Germania detineretur arcta velut in custodia, nè turbas novas in Ecclesia cieret, aurò sibi tandem viam rupit, indéque statim ad Martinum V. profugit, apud quem ea animi magnitudine, qua gessit Pontificatûs insignia, titulósque posuit, eúmque legitimum Petri successorem agnovit. Habitus dein magno in honore est à Martino, ab eóque Episcopus Tusculanus, ac Sacri Collegii Decanus creatus. Quo in munere obiit Florentiæ annô à resignato Pontificatu quartô.

Ponente sic Schismaticorum turbine, qui tot annos Ecclesiam verterat, hæreticorum per Bohemiam latiùs furor debachabatur, stimulante potissimùm Joanne quodam è Religioso Apostatâ turpissimo, qui ad fundendum plurimorum Magnatûm cruorem prælato sacro in calice Christi sanguine consceleratos adhortabatur. Indoluit tantæ Regni, suorúmque calamitati adeô Rex Wenceslaus, ut subitò, delatô ad se tot cædium nunciô, apoplexiâ tactus sit, atque infra decem & octo dies è vivis excesserit Annô Regni sui quinquagesimò quintô, ùt Spondanus, & alii, postquam fratrem suum Sigismundum frustra ad capessendum Bohemiæ Regnum accersivisset, qui hoc anno vel ingredi Bohemiam ausus non est ob turbas gravissimas, belláque civilia, aut ùt alii opinantur, noluit, armis nescio quo zelo in Barbaros & Turcas versis.

Obiit & hoc eodem anno Universitatis nostræ Rector M. Lambertus de Geldria, Theologiæ Doctor, ac sacræ paginæ in eadem Interpres, Academiæ nostræ pluries Rector, pluribus à se conscriptis voluminibus

cele-

celebris, quæ in Bibl. Academ. asservantur. Cujus post mortem (nam hoc ipso tempore Magistratu in Republica literaria supremo fungebatur) non levis difficultas, dubiúmque ortum, cui cogendæ Universitatis onus incumberet; conclusúmque tandem communibus Doctorum omnium suffragiis in modum sequentem est, quo secuturis quoque temporibus prospiceretur; verba reddo Actorum in Facultate Artium:

Conclusum est, quòd si Rector Universitatis, tunc Decanus Facultatis, de qua Rector est, se intromittat de laboribus Rectoris defuncti, & hoc solùm esset verum, si talis Decanus possit aliàs esse Rector Universitatis, quod factum est propter Religiosos, & propter Magistros, & Doctores habentes uxores legitimas. Si verò aliquis talium Doctorum esset Decanus, in tali casu se non haberet intromittere de laboribus Rectoris defuncti, sed senior Doctor, vel Magister præsens, & Regens in eadem Facultate de qua electus est Rector defunctus. Si verò Decanus alicujus Facultatis decesserit, tunc senior Doctor, vel Magister præsens & Regens se habeat intromittere de laboribus ejusdem Decani defuncti. Si verò Procurator aliquis Nationis alicujus defunctus fuerit; tunc senior Doctor, vel Magister præsens, & Regens Nationis, de qua talis Procurator fuit, debet se intromittere de laboribus ejusdem, & facere congregationem omnium suppositorum ejusdem Nationis pro electione novi Procuratoris. Si verò talis Natio deficeret in Doctore, vel Magistro; tunc faciat Baccalaureus senior ejusdem Nationis de ista Natione congregationes omnium suppositorum, & alia, quæ ad Procuratorem pertinent usque ad electionem novi Procuratoris. Si verò talis Natio deficeret in Graduato pro tunc, Scholaris ejusdem Nationis honestus faciat, ut profertur. &c.

Ex quo patet, nunquam tunc in Universitate hac nostra, quæ se Clericam ab initio profitebatur, in usu fuisse, ut vel Religiosus, aut Doctor legitimo in matri-

trimonio constitutus supremum illius Magistratum gereret, quo palàm ostenditur, errasse apertè illos, qui Henricum de Hassia Monachum fuisse scripsêre, cùm is (ùt acta nostra ostendunt) Rector Academiæ nostræ præfuerit, ùt etiam superiùs à me insinuatum.

Facta est quoque hoc anno transactio quædam inter Facultatem Theologicam, & Philosophicam, seu Artium: Cùm enim prima in Magistris Legentibus penuriam pateretur, hæc iisdem abundaret, petiêre à Principe Alberto Doctores Theologi, ut tribus actu in eorum Facultate sub stipendio Facultatis Artium legentibus Magistris Artium, & in Theologia Baccalaureis jam formatis tres alii adjungerentur. Nec abnuit id Artium Facultas, ea tamen adjecta conditione, ut Magistri illi legentes in Theologia in omnibus reliquis subsint Facultati Artium, ejúsque onera subeant haud secus ac alii in Artibus legentes, ita, ut si vocati vel ad disputandum, vel ad examinandum fuerint, teneantur omnimodè parere, nec ullum Facultatis laborem detrectare, in quod & ambæ Facultates convenêre, approbante hæc omnia & confirmante Alberto Archi-Duce.

Anno 1420. Sigismundus Cæsar ad exscindendam hæresim Crucem in Hussitas publicari jussit, grandíque conflato exercitu Bohemiam adortus est nativum Regnum, sed impurissimarum sectarum colluvie contaminatissimum. Tulêre & justissimo bello suppetias Albertus & Ernestus Archi-Duces Austriæ, ipsi quoque ex innato in Ecclesiæ hostes odio ad castra profecti. Verùm ne majora eo bello peragerentur, tum Joannis Ziska, hominis militiæ peritissimi, Hussitarúmque defensoris acerrimi vis obstitit, tum verò nimia Sigismundi in seditiosos lenitas, clementiáque quâ, dum Cives patriæ, patriam, urbésque servare sibi providè minus studet, parum aberat, quin Cives & Regnum simul amitteret; quinquies siquidem frustra

Bohe-

Bohemiam armis deinde cùm tentâſſet, quinquies non ſine dedecore cæſus eſt.

Felicius longè res ſuæ Univerſitati noſtræ ceſsêre, quæ à Martino quinto non parum eidem favente novis rurſus, ampliſſimiſque Privilegiis aucta eſt; dum ob præclara merita, laboréſque in Conſtantienſi Concilio exantlatos eidem excommunicandi, cenſuriſque aliis Eccleſiaſticis reos, obſtinatóſque coërcendi poteſtatem fecit Bullâ hoc anno datâ, cujus tantùm partem ultimam ſubjungo:

Ipſáque membra, & ſuppoſita, ac ex eis quemlibet, quoties legitima ſuberit cauſa, canonicis ſervatis ſanctionibus excommunicandi, & excommunicatos publicè denunciandi, aliiſque cenſuris, & pænis Eccleſiaſticis percellendi, ac ab illis abſolvendi, plenam, & liberam autoritate præſentium facultatem concedimus, & etiam poteſtatem, non obſtantibus conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, ceteríſque contrariis quibuscunque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraiere. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Florentia VI. Calend. Junii, Pontificatûs noſtri anno tertio.

Anno 1421. Cùm Huſſitarum hæreſis non vicinam ſolùm Auſtriam pravis dogmatibus, ſed & armorum furore perturbaret, Miſſæ ſolennes juſſu Alberti decantatæ per urbem ſunt, ſupplicationéſque publicæ deductæ, quibus & Univerſitas noſtra intererat, ad placandam Numinis iram, meritáſque à Patria, Civiúmque jugulis pænas avertendas, útque humanis quoque mediis virus hoc peſtilens indies latius ſe ſe diffundens extirparetur, monente eodem Principe Univerſitas decrevit, ut quotquot Univerſitatis Jure, privilegiíſque vel actu gauderent, aut frui iiſdem deinceps vellent, jure jurando teſtarentur ſe omnem

Wicleffi, Hussisque errorem, cæterásque, quæ per Bohemiam grassabantur, hæreses toto animo rejicere, nullisque opinionibus à Religione Catholica alienis se deinceps adhæsuros. Quod & illico ab omnibus præstitum esse Acta Universitatis insinuant.

Quàm verò pius hic Alberti Archi-Ducis, Universitatísque nostræ ad extirpandam hæresim conatus DEO, superísque placuerit, eventus brevi docuit. Redditæ enim hoc etiamnum anno Universitati nostræ sunt literæ, quibus reductus ad Ecclesiæ, Romanæque sedis obedientiam Moraviæ populus edocebatur. Meminêre harum literarum Acta Facultatis his ipsis, quæ subjungo, verbis;

Die 22. Decembris congregata est Universitas ad audiendam quandam literam directam Universitati per Venerandum Dominum Sedis Apostolicæ Legatum; qui tunc moram habebat in Iglavia; & continebat pro consolatione Universitatis, quomodo omnes Barones, & Domini de Moravia relictâ, & abjuratâ Hæresi Hussitarum, & pravitate, conversi essent in sinum sanctæ Matris Ecclesiæ, exceptis tribus, & quòd bona spes esset de conversione Dominorum de terra Bohemiæ, & quòd populus communis adhuc in hæretica pravitate consistens in magno staret timore & tribulatione.

Hæc læta è Moravia dum nuncia adferuntur, turbavit non nihil pacem Universitatis duorum Magistrorum inconsulta dicacitas. Exciderant nempè familiares inter congressus Magistro Lauringo dicteria quædam Hussitarum Wicleffistarúmque hæresim redolentia; Quæ, cùm pro Religionis tuendæ studio vehementiùs, incautiúsque arguit M. Paulus de Praga Artium Magister, nec in sacratioribus disciplinis multum versatus, offendisse & ille visus est, quorum inter sese litigantium causa ad Apostolici Nuncii aures dum defertur, gravi quidem Epistola ille Magistri Pauli temeritatem coarguit; Magistrum verò Lauringum in carcerem detrudi Officiali Passaviensis Episcopi mandat,

mandat, donec Universitas, cui controversiæ totius arbitrium, sententiámque ferendam commisit, quid de eo statuendum sit, decreverit. Delegit acceptâ hac Nuncii Epistolâ illico Universitas M. Petrum de Pulcka, & M. Bartholomæum Theologiæ Doctores, qui cum aliis Facultatum Doctoribus causam maturô consiliô discuterent, quidque ulterius faciendum censuerint ad Universitatis Senatum deferrent. Cujus rei finem sequenti anno videbimus.

Ad hunc annum Gerardus de Roo in historia sua Austriaca refert expulsos ab Alberto Austriâ Judæos, multos verò ultricibus flammis addictos, cujus rei causam Haslbachius his verbis describit:

Israël Judæus prædives in Anasô ferebatur ab uxore aditui sibi obnoxia ab Ecclesia S. Laurentii Parochiali à communi hominum frequentatione separata post paschalia ejusdem anni festa multas Sacramenti particulas comparâsse, & eas ad illudendum suis paribus destinasse, quæ sacrilega etiam mulier præfata, quæstionata confessa est. Israël Judæus tamen cum uxore & aliis hujusmodi flagitii consciis, & suspectis id constanter negare studuerunt, certum etsi furtum commissum esse sacerdotibus foret. Hinc uno die, eadémque hora in universis Austriæ locis Judæi Ducis Alberti jussu addicuntur captivitati, confiscantur eorum bona, & relegatis popularibûs reservantur magis honorati eorundem. Quo dum hyems asperior ingruisset, quidam mutuis ex eis cecidêre vulneribus, alii verò sibi manus injicere non dubitarunt, &c. hac in perfidæ gentis persecutione eorum Synagogam hic Viennæ (an furore populi, an jussu Principis ignoro) dejectam, eversámque fuisse ex Actis nostris reperi, cujus in acervum conjectos lapides Cives Universitati ad extruendam novam, ampliorémque domum, in qua Magistri legerent, Universitatísque aula amplior construeretur, liberaliter donarunt.

Decretum hoc eodem anno est ab Universitate ob

 rixas

rixas perpetuas studiosos inter & Cives ortas, ut nullus deinceps Universitatis Privilegiis gaudeat, nisi sit vel in Collegio aliquo, aut in Bursa sub Magistri aut Baccalaurei cura, vel in domo incorporata Universitati sub Rectore ab eadem designato, aut demum in domo hospitis priùs approbati, qui pro omnibus clientum, Domesticorúmque suorum respondere, déque eorum malè actis rationem Universitati reddere paratus sit, útque à Decanis Facultatum Bursæ, studentiúmque domus, aut Collegia frequentius visitentur, insistántque Facultates singulæ prioribus à se conditis eo in negotio legibus & statutis.

Literis denique hoc ipso tempore in Universitate hac nostra operam dedit Ernestus Archi-Ducis Ernesti filius, qui à Facultate Artium ad Juridicam hoc anno transiit ob causam, quam in Actis Facult. Artium & legi, & accuratione summa reddo:

Supplicavit Dominus Doctor Joannes de Besthphalia, quatenus Universitas dignaretur dare bonum locum (intellige in processionibus publicis, aut consessu Magistrorum) *Domino Ernesto filio Ducis Ernesti, & commissum fuit Deputatis, qui deberent ordinare juxta status personarum. Sed nostra Facultas* (intellige Artium) *addidit, quod si non fieret generalis permistio, & adunatio suppositorum cujuscunque Facultatis essent, tum nec quoad istum vellet condescendere, ut altiùs locaretur, quàm fuit antea in Facultate Artium, & motivum fuit, quia Facultas Juris tunc alienavit sic plura supposita à Facultate Artium, quia postquam intraverunt Facultatem Juris, tunc exaltavit eos sicut idola praferendo, & pralocando Magistris in Artibus, & aliquibus aliis Doctoribus. Sic & ille ut exaltetur Facultatem Artium exivit, & Facultatem Juris intravit.*

Ex quo haud obscurè patet, quàm retinendi Juris sui Facultates jam tunc studiosæ fuerint, quæ carere etiam serenissimo è sanguine prognatis maluêre alumnis,

nis, quàm ut admitterent, quo viliores reliquis viderentur.

Anno 1422. M. Lauringus, de quo anno superiori dictum est, publico in Universitatis, Doctorúmque consessu propositiones quasdam aut hæreticas, aut certè non parum de ea suspectas, atque à se prolatas coram Notariis duobus publicis retractavit, abjuratísque omnibus Hussii erroribus Sacramentô se se adstrinxit ad Catholicæ Religionis dogmata non solùm sectanda deinceps, sed & propugnanda, & defendenda, quòd cùm præstitisset, justæque pænitentiæ signa dedisset non levia; Rector Universitatis, quemadmodum eidem Legatus Apostolicus commiserat, eum ab excommunicationis, aliarúmque censurarum Ecclesiasticarum (si quas incurrisset) pænis absolvit, & quia ob hæresis suspicionem in carcere etiamnum à Domino Officiali detinebatur, egit quoque Universitas interpositis apud Officialem precibus, ut libertati quoque pristinæ redderetur, quod & ab illo in Doctorum nostrorum gratiam deinde præstitum.

Hoc eodem anno Elisabetha Sigismundi Imperatoris hæres filia, atque Alberti Archi-Ducis sponsa, ut Acta nostra testantur, ingenti cum apparatu deducta Viennam est, cui obviam quoque processit Universitas hæc nostra numerosissimo cum Nobilium tum Doctorum comitatu. Quàm felices verò hæ nuptiæ Austriacis fuerint amplissimarum Provinciarum facta dein accessio testata est. Tabulis nempe publicè jam uno abhinc anno scilicèt die Dominico ante Michaëlis, Anno MCCCCXXI. Posonii editis ita Elisabethæ filiæ, ac Alberto ejusdem sponso de Bohemiæ, Hungariæ, Moravíæque possessione Sigismundus caverat, ut, si sine prole mascula ipse decederet, eas Provincias hæreditario jure obtinerent, aut si aliam sibi etiamnum Filiam nasci contingeret, Elisabetha Regno uno quod luberet, sorori relicto, alterum cum Moraviæ Ducatu nancisceretur. Addit & his Haslbachius initô

 hoc

hoc matrimoniô Archi-Duci Alberto pignoris loco quinque in Moravia civitates à Sigismundo esse traditas, scilicet ùt ille scribit, Brunam, Znoymam, Iglaviam, Budwiz, & Pocherliz, pro quibus tamen Albertus eidem 100000. florenos persolvit.

Vindicata est eodem tempore Domus Inclytæ Facultatis Medicæ, quam eidem Dominus Nicolaus de Herberstorff priori anno donaverat, è civium servitute. Domus præterea à Domino Nicolao Glewiz Canonico Ecclesiæ Vratislaviensis in bursam Silesitarum empta annô 1420. & dotata hoc demum anno Doctoribus Theologiæ & Artium Magistris juxta Fundationis literas, mentémque defuncti Fundatoris adjudicata est, cùm eam hactenus duo è Juridica Facultate M. scilicet Joannes de Graz, & M. Stuckler sine ullo Rectoris, aut Universitatis vel consensu, vel approbatione occupâssent.

Denique hoc anno Joannes de Gmunden celebris sui temporis Mathematicus Tabulas Astronomicas, quarum autor erat, è consensu Facultatis Artium publicavit, eidémque obtulit.

Anno 1423. Domus Universitatis ex antiquis Judaicæ Synagogæ ruderibus construi per Facultatem Artium hac ratione cœpta est: Emerat jam multo abhinc tempore Universitas domum vulgo dictam senioris Krembser cum areis adjacentibus, ut scholæ, vel ut dici tunc solebat, Lectoria ampliora pro Facultatibus singulis construerentur, unà cum aula Academica, in qua solenniores Universitatis actus haberentur, ac cum Bibliothecis pro singularum Facultatum libris scriptísque asservandis. Verùm convenire inter Facultates non potuit; quæ, dum singulæ sui fors commodi studiosiores erant, communem omnium utilitatem præpediêre. Ægrè tulit hanc Universitatis suæ, cujus honori & commodo summè studebat, diuturnam discordiam Albertus Archi-Dux, accitísque ad se Abbati Mellicensi, M. Nicolao de Matzen, M. Nicolao de

de Dincklſpichl, & Domino Caſparo Juris Profeſſori ordinario in mandatis dedit, Facultatem Artium ut accederent, eámque ſuo hortarentur nomine, ut domum eam cum areis ab Univerſitate emptis ad ejuſdem honorem, commodúmque ſuis ſumptibus erigat, conſtruátque; quam quidem in Principis voluntatem cùm conſenſiſſet Facultas Artium, convenêre tandem cum M. Nicolao Dinckl ſpichl, qui nomine Principis aderat, Univerſitatis reliqui Deputati, in hunc, qui ſequitur, modum:

Primò omnis materia lapidum, calcis, lignorum, & aliorum quorumcunque nullô demptô per Univerſitatem defacto pro ſtructura arearum emptorum dandam eſſe liberè Facultati Artium, & eidem omnino apparandam. Item Univerſitas eidem Facultati ſolvere tenetur 160. libr. Den. Wiennenſium antiqua moneta, & ſtatim pro principiando labore in hujuſmodi ſumma dare deberet prædicta Facultati omnem pecuniam in archa Univerſitatis exiſtentem, aut extra archam ubicunque fuerit de remanentiis reſiduatam, & in futurum reſiduandam, donec prætacta ſumma, quanto citius fieri poterit, fuerit integrè exſoluta. Item, ut tota anterior pars areæ, & fundus cum ædificiis, celariis, & omnibus attinentiis ſuis, & curia uſque ad metas pro ingreſſu ad Lectoria nova ſignatas, videlicet ad externum murum contigua cameræ, quæ eſt ſuper primo celario, & correſpondenter uſque ad vicum æqualiter diſtantem à muro Lectoriorum, ſit Facultatis Artium prædicta cum pleno jure, & dominio, ſicut antè fuit Univerſitatis, etiam cum literis emptionis bonorum prædictorum. Pars verò tota reſidua area poſterior, videlicet à poſtrema camera, quæ eſt ſuper celario excluſivè, & correſpondenter ſpatium areæ æqualiter diſtans cum camera à muro Lectoriorum unà cum Lectoriis pleno jure & dominio directo ſit Univerſitatis; quoad uſum autem communiter pertineat ad omnes Facultates cum moderaminibus tamen infra ſcriptis: ita vide-

videlicet, quod fons sit comunis etiam habitantibus in areis Facultatis. Spatium autem interjacens inter Lectoria, & aream Facultatis supra descriptam sit liberum pro statione Scholarium, ac pro ingressu ad scholas. Nec deberent ædificia versùs eandem partem in area tanta, ac talia fieri, quæ scholis prædictis in lumine præjudicent. Item pro præmissa area, pecunia, & præparamentis lapidum, & aliorum super descriptorum Facultati Artium prætactæ ab Universitate assignatorum, vel adhuc solvendorum, tenetur eadem Facultas præfata Lectoria juxta formam jam inceptam, murô, pavimentis, & tectô latericiô propriis sumptibus ad plenum perficere indilatè, ita videlicet, ut inferiùs sint tria Lectoria, & superiùs unum magnum, quæ sint ad usum infra scriptis Facultatibus Theologicæ videlicet, Juris Canonici, & Medicinæ distincta pro Actibus suorum Graduatorum, & ad suam Facultatem pertinentibus duntaxat. Cùm autem actibus talium vel talibus deoccupata fuerint, indistinctè Facultatem Artium respiciant, pro quibuslibet actibus suis, seu graduatione cujuscunque Facultatis aut personæ. Lectorium verò magnum superius Universitatem pro suis actibus solennibus, pro suppositorum scilicet conventibus, congregationibus, & Facultates tres prænominatas in actibus solennibus respiciat, talibus tamen duntaxat, quos Universitas ipsa aut Facultatum omnium personæ consueverunt adire, ùt sunt conventus, Licentiæ, & solennes Doctorales determinationes, & ceteri actus, ad quos confluere consueverunt supposita in tam copiosa multitudine, quòd visibiliter in scholis ejusdem Facultatis specialibus, cujus est actus decenter non possent collocari. Extra tales actus autem præfatum Lectorium ad solius Facultatis artium usum pertineat. Item in qualibet scholarum trium inferiorum fiant 4. scamna cum pulpitis convenientibus, & hoc de pocunia communi Universitatis, nisi plura talia de propriis Facultati, cui tale Lectorium assignatum fuerit, placeat ordinare. Alia

autem

autem fiant juxta morem Facultatis Artium; ita tamen. quod etiam de communi pecunia Universitatis tantum contribuatur, sicut pro 4. scamnis & pulpitis in una inferiorum scholarum fuerit impensum. Item januas, & fenestras, & alia ad scholas pertinentia faciat Facultas Artium juxta ipsius discretionem, ad Universitatis, & sui ipsius profectum, & honorem. Insuper placuit eisdem Deputatis, ut statim Facultati Artium omnis pecunia remanentiarum, quæ essent in archa, & extra usque ad 60. libr. Denar. & pro centum libris obligaretur Universitas Facultati. Et sic factum est eodem die, & approbavit totum tractatum Universitas sequenti in Congregatione, scilicet die 3. Augusti. Ultima verò die Septemb. in Congregatione Universitatis data est cum effectu domus Universitatis cum parte arearum Facultati Artium, unà & literæ emptionis, & litera Universitatis de hac donatione Facultati facta, confectæ &c.

His ita peractis Facultas Artium delegit M. Narcissum Herz tunc Universitatis Rectorem, Joannem de Gmunden Facultatis suæ Decanum, & Nicolaum de Gotesprun, qui numerarent pecunias in Facultatis ærario contentas, præstitô tamen anteà juramentô, nè quantæ eædem essent ulli unquam indicarent. Cúmque structuræ faciendæ sumptus non impares cerneret, illico aggressa eandem est, ædificióque ducendo præfecit M. Thomam de Haslbach sæpiùs à me hactenus laudatum, & M. Nicolaum Rockinger de Gotesprun, ac dein etiam M. Joannem de Gmunden. Magister tamen Thomas de Haslbach cùm eodem hoc anno mense Octobri Rector Universitatis crearetur, ab onere hoc absolutus est per tempus scilicet, quo Magistratum gereret.

Indictum hoc eodem anno (quemadmodum in Constantiensi nuper decretum fuerat) Concilium est Papiense, verùm, cùm ob metum sævientis pestis pauci sibi Papiam adire fiderent, Synodus ista Senas translata

lata est, quo etiam plurimi Præsules ac Doctores confluxêre. Actum in ea strenuè de reformanda Ecclesia, extirpandisque erroribus in Constantiensi Concilio damnatis. Sed cùm Martinus Pontifex Mense Septembri adfuturus & ipse Senis adpromitteret, nec ob Alphonsum Aragoniæ Regem sibi infestum accedere auderet, Februario mense anni sequentis hæc quoque Synodus dissoluta est, reformationisque necessaria acta ad Martinum Pontificem transmissa. Deliberavit & Universitas nostra à Pontifice ad hoc Concilium invitata, an & ipsa Oratores suos Papiam, Senásve mitteret; verùm cùm exhaustum novis structuris suum cerneret ærarium, sumptúsque necessarios haud suppetere, nullum hac vice à se suo nomine mittendum Legatum censuit, sed negotia necessaria illis committenda, qui aliunde ad eam Synodum proficiscerentur. Ita Acta Universitatis referunt. Nomina tamen Doctorum nostrorum, qui huic Concilio sponte sua interfuêre, nullibi hactenus reperi.

Annô 1424. obiit Petrus de Luna olim Pontifex dictus Benedictus XIII, ætate jam summum in senium vergente, animóque tam ad retinendum Pontificatum obfirmatô, ut antequam eflaret animam sacramentô Cardinales suos adegisse dicatur, alium rursum in suum locum ut Pontificem substituerent. Et verò vitâ eo functô, duo Cardinales, qui Benedicto hactenus adhæserant, Julianus nempe de Loba, & Dominicus Bonæ Spei illico in Pseudo-Papam creârunt Ægidium Sancii Munotii Canonicum Barcinonensem militari genere natum, Decretorum Doctorem, qui, cùm eos honores toti Ecclesiæ perniciosos omni studio rejiceret, Alphonsi tandem jussu coronatus est, Clementisque VIII. nomen accepit, novos Cardinales subinde creavit, ac pro Pontificis autoritate administrare visus est omnia, haud alio fine, quàm ut Alphonsus Martino semper infestus Aragonium schisma firmaret, legitimique Pontificis autoritatem deprimeret, à quo tamen unà cum

Pseudo-Pontifice suo à Martino excommunicationis sententiam tulit.

Dum nova hæc lis Summum Pontificem vexaret in Italia, in Austria quoque discordiæ ortæ sunt Passavienses inter Episcopos geminos, ejusdem Ecclesiæ Canonicos, quæ Albertum dein Archi Ducem, & Universitatem hanc nostram multos per annos involverunt. Cujus originem paucis hìc damus. Demortuo Gregorio Passaviensium Præsule, discordi electione Episcopus à minori quidem parte nominatus est Leonardus à Layming Bavarus, & Henricus Flockelius Decretorum Doctor majori Canonicorum parte neutri suffragante. Commissa hinc Eberhardo Salisburgensi Archi-Præsuli nominandi Episcopum autoritas fuerat, qui precibus Bavariæ Ducis permotus Leonardum à Layming Passaviensi præesse Ecclesiæ dein jussit, etsi & Albertus Archi-Dux Austriæ, & Canonicorum plurimi Henrico potiùs favissent, qui sententiam jam suam retractabant, nec in urbem admittere Leonardum volebant. Devicit tamen ille tum blanditiis, tum largitionibus ita civium animos, ut eum non benevolè modò reciperent, sed & ejus quoque Dominatum lubenti animo ferrent. Quô quidem civium in Leonardum favore tanto vehementiùs exacerbati sunt Canonicorum animi, adeò, ut Albertum adirent, multisque querelis ita Principis animum occuparent, ut proventus Episcopales per Austriam omnes eidem interciperentur. Hinc plurimæ utraque ex parte ad Universitatem nostram missæ, remissæque literæ. Petierat nempe literis suis Leonardus, debitum ut sibi Universitas obsequium, obedientiámque præstaret, scripserat quoque ad Doctores nostros Henricus Bavariæ Dux, ut quà consiliis, quà precibus Albertum Archi-Ducem in meliorem partem flecterent, eúmque Leonardo conciliarent, sed obstitit mandatum Alberti, qui tunc in Moravia adversùs Hussitas pugnaverat, frequentiùs námque Universitatem nostram Nunciis admo-

monebat, ut ad Romanum Pontificem intrusum esse Leonardum perscriberet, nullámque obedientiam eidem præstaret. Quare Universitas etiam contra mandatum Leonardi publicis coram Notariis appellavit, Bavariæ verò Ducis literas Alberto in castra transmisit, ac Denique Dominicâ II. Adventûs duos è Doctoribus Procuratores delegit, qui Leonardi, Universitatísque causam apud Martinum Pontificem agerent, scilicet Dominum Joannem Kreveld, & Dominum Joannem Kerrs, quos etiam suo nomine, ut negotium hoc pertractarent, Archi-Dux designavit.

Hoc eodem anno ab Universitate proscriptus, éque matricula illius expunctus est Joañes de Buda Baccalaureus in Artibus, eo quod studiosorum aliquem mutilâsset, óbque plures commissas in Rectorem, ac Magistratum reliquum Universitatis injurias. Verùm cùm tandem Romanorum, Hungariæ, Bohemiæque Rex Sigismundus literis instaret, precésque accederent supplices Domini Archi-Episcopi Strigoniensis, dandum id eorum desiderio Universitas censuit, ut dictum Joannem rursus recipiat, Albóque studentium inscribat, eo tamen pacto ut taxam eam persolvat, quam persolvere tenentur ii, qui antea in eundem relati nunquam fuêre.

Hoc denique anno Privilegium Jurisdictionis, quam Rector in omnes Universitatis Doctores, & alumnos summorum Pontificum beneficio plurimis jam ab annis obtinuerat, & promulgatum primò, & in usum deductum est, uti acta nostra apertè declarant.

Annus 1425. Cùm priori, ut retulimus, anno, hæc adversus Leonardum ab Universitate nostra & Albertum Archi-Ducem tum in Austriâ, tum Romæ agerentur, multorúmque ille à Canonicis suis criminum reus summum apud Pontificem incusaretur, Romam ipse objectis se à criminibus purgandi causâ adiit. Impetravítque à Martino V. literas, quæ 9nâ Decembris hoc eodem anno Universitati sunt redditæ, quibus sum-

summus Ecclesiæ Pontifex Doctores nostros adhortatus est, ut Principem Albertum omni studio ac conatu Leonardo concilient, eóque animum illius flectant, ut legitimum, verúmque Passaviensis Ecclesiæ Antistitem eundem agnoscat. Verùm antequam hæ Romana è curia literæ acciperentur, ab Alberto quoque Nuncius aderat Principis nomine admonens, ut Universitas Doctores aliquos ad se Gremsium mittat, ubi tum ad Hæreticorum impetus, qui Zwetlense usque ad oppidum excurrebant, retundendos morabatur, ut cùm iisdem novam quandam discordiæ materiam discuteret, ortam ex monitorio quodam scripto jussu Leonardi publicè valvis affixo, quo se verum diæcesis illius Episcopum esse profitebatur, oppidanósque ad sui reverentiam, obedientiámque cogebat. Quibus quidem acceptis missi illico sunt Academici Senatus decreto M. Petrus de Pirchenwart, Theologiæ Professor, Dominus Joannes Seld decretorum Doctor, M. Joannes de Mylldorff, & M. Joannes de Mellico Artium Magistri, & Theologiæ Baccalaurei formati.

Hoc eodem anno Universitati tradita est domus recens per Facultatem Artium constructa, in qua Facultas Theologica Lectorium elegit exteriùs versùs Ecclesiam P.P. Prædicatorum; Juristæ medium, extremum Medici, Lectorium verô magnum, quod minoribus his imminebat, Aulam deinceps Universitatis nominare placuit.

Demum Rectore M. Joanne Hymel ob pestem actu Viennæ desævientem, quæ multos Universitatis alumnos, aut recedere ad tutiora coëgit, aut abripuit, lectionésque publicæ in Festo S. Augustini tantisper clausæ & interdictæ sunt, usque ad nonam nempe Mensis Decembris, qua die jussu Magistratus Academici literati denuo labores assumpti, ludíque publici aperti sunt.

Anno 1426. Comitia Imperii Norimbergæ sunt habita, ad quæ & Martinus Legatos suos miserat, fors eo etiam (si non potissimum) è fine, ut dissensionem

Albertum inter Archi-Ducem Austriæ, & Leonardum Passaviensium Antistitem componeret; indicant hoc literæ Alberti hoc anno ad Universitatem nostram datæ, quarum Acta Facult. Art. his verbis meminerunt.

In die S. Pancratii congregata est Universitas ad audiendum desiderium Principis, quo desiderat, quod Universitas scribat Reverendissimo in Christo Patri Domino, Domino Jordano S. R. Eccl. Cardinali de Ursinis, ceterisque Dominis S. R. Imp. Electoribus in Norimberga congregatis, in causa Ecclesiæ Passaviensis. Et fuit circa istum Articulum aliqua schedula lecta, qualiter scribendum esset Electoribus. Et placuit Universitati, quod impleretur desiderium Principis. De cogitando autem modo, & forma scribendi dati sunt Deputati, & quidem M. Thomas de Haslbach, & M. Narcissus Herz, cum aliis. Eo tamen paucos post annos res omnis ope potissimum Salisburgensis Archi-Præsulis deducta est, ut conciliatis utrinque animis Leonardus præesse Passaviensi Ecclesiæ pacificè ab Alberto relinqueretur.

Hoc quoque anno Alphonsus Aragoniæ Rex furere in Martinum V. pergens ab eo excommunicatur, sententiáque gravissima in illum fulminata Apostolicis publicísque tabulis inserta, atque à Pontifice ad præcipuas tum per Europam Universitates perscripta est. Detulêre eas literas ad nos quoque M. Theodoricus de Hammelburg, S. Theologiæ Professor, & Paulus de Vienna, qui suis in negotiis aliquo tempore in curia Romana versabatur. Retulêre ii quoque Cardinalium voluntatem petentium nempe, ut Universitas nostra Summo Pontifici scribat, perpetuúmque ei obsequium, parendíque studium suum testetur, conatúmque ac laborem adpromittat omnem ad pacandam, tuendámque Ecclesiam; quarum literarum perficiendarum negotium Rectori ab Universitate commissum est.

Denique cùm Albertus hoc anno rursus ad bellum Hussitis

Hussitis inferendum in Moraviam abiret, ab Universitate rogatus est, ut per id, quo abesset, tempus, suis è Consiliariis alicui literariam hanc Rempublicam impensè commendaret, ad quem eadem obortis in negotiis, gravioribúsque curis recurrere, opémque ab illo ferre, & auxilium posset, quod & clementissimus Princeps haud illubenti animo præstitit.

Anno 1429. Consiliô ac industria Petri Fuxensis Cardinalis Alphonsus tandem positis inimicitiis Martino V. conciliatus est, & Clemens VIII. Antipapa abjectis palam pontificum insignibus Papatu cessit, Martinum unum, verúmque Ecclesiæ caput, Christíque Vicarium professus. Quo pacto grande illud Schisma, quod 50. ferè annos Christianum orbem vexaverat, suppressum penitus, & extinctum est.

Advenêre hoc eodem anno Universitatis Parisiensis Oratores ad Academiam nostram missi cum literis, quibus Galliæ Doctores eam adhortabantur ad procurandum omni studio, ut proxmè Basileense Concilium cogeretur. Faciunt hujus mentionem Acta Universitatis nostræ, quorum verba subjungere placuit:

5. Calend. April. Congregata est Universitas ad recipiendum, & audiendum Ambassiatores Universitatis Studii Parisiensis, & ad deliberandum, quid expediat. Et fuit præsentata quædam litera Universitatis prædictæ exhortatoria, & credentiæ, in qua quidem Ambassiata fuerunt tres Doctores, Theologiæ, & unus Decretorum, duo seculares, & similiter unus de Ordine Minimorum, & quartus de Ordine S. Antonii deferens Shaublaveum. Prælibatus quoque Minimorum habuit unam orationem ad nostram Universitatem cum arenga; qua expleta M. Petrus de Pirchwart Doctor nomine Universitatis eosdem suscepit cum collatione Venerationem nostram Universitati Parisiensi in eorum personis commendando. Postea fuit conclusum, quod Deputati Universitatis nostræ, scilicet Decanus Theologiæ M. Thomas de Haslbach. Dominus Joannes Seld

Decretista. Decanus Facultatis Medicæ, M. Erasmus de Landshuta, & de Facultate Artium M. Berchinger, & M. Nicolaus de Grez, visitarent sæpe prædictos Ambassiatores in eorum habitatione, dicentes deliberationem Universitatis eisdem. Fuit quoque præfatis Deputatis datum plenum posse de honorariis, si quæ eis fieri deberent, quod disponerent. Venientibus præmissis Deputatis ad domum Ambassiatæ, M. Thomas de Haslbach fecit collationem, & ipsi vice versa responderunt.

Anno insequenti, scilicet 1431. cùm tempus convocandi Concilii instaret, Martinus quintus Julianum Cæsarinum Cardinalem ejus tum in Germania contra Hussitas Legatum Basileam destinat, cum plena potestate Pontificis nomine Synodo ut præsideat, cúmque Patribus statuat, quod ad reformandos mores, hæreséSque extirpandas opportunum censuerit. Verùm dum hæc moliretur Martinus, longo jam à tempore valetudine minùs commodâ usus diem clausit extremum 10. Calend. Martii, ætatis suæ anno 63. Cui cum justa funebria è more persolvissent Cardinales, calendis Martii conclave ingressi sunt, alteróque post die suffragiis collatîs vacanti Sedi Successorem dederunt Gabrielem Gondelmerium Venetiis populari è familia natum, tit. S. Clementis Presbyterum Cardinalem, qui 5. Idus Martii coronatus, Eugenii IV. nomen assumpsit. Admovit illico ab acceptis Pontificatûs insignibus manum Reipublicæ, negotiísque publicis Eugenius, deditque postridie Coronationis suæ literas ad Julianum Cardinalem Cæsarinum, quibus ejus quidem in Germania ad Sigismundum Legationem confirmavit, Concilii tamen proximè futuri negotium non minori ab eo pertractari studio, atque ad se referri singula, quæ ad illud pertinerent, mandavit. Utrique paruit Julianus, missóque Basileam Joanne Palomaro, & Fratre Joanne de Ragusio, qui Concilium suo, & Summi Pontificis nomine auspicarentur. Cùm convenisse paucissimos Patres Basileam

ſileam audiret, ipſe cum numeroſiſſimo exercitu, quem Sigismundus è Germania conflaverat, & in quo 40000. equitum fuiſſe feruntur, in Huſſitas profectus eſt. Verùm minor longè expectatione omnium ſacræ hujus expeditionis fortuna fuit; vix enim res ulla magnopere digna cùm geſta eſſet, panicus terror adventantis hoſtis adeò Germanum concuſſit, diſſlavitque exercitum, ut ne conſpecta quidem adverſa Huſſitarum acie in fugam abiêrint omnes, palantibus ſimiles, atque ita fædè disjectis manipulis, ut fuſum, cæſúmque ab hoſtibus fuiſſe exercitum crederes. Melior multò fortuna, armorúmque ſucceſſus Alberto fuit Archi-Duci, qui altera ex parte ingreſſus Moraviam tot cladibus gentem pertinaciſſimam attrivit, ut collum tandem jugo ſubmiſerit. Parcitum eſt ab Alberto ſeditioſis Civibus, ſed non niſi hac lege, ut jurarent ſinguli, id ſe deinceps Religonis, fideique in negotio facturos, crediturósque, quod ſacrum Baſileenſe Concilium decreverit.

Interim dum hæc in Bohemia, vicináque agerentur Moravia, Oratores Univerſitatis Pariſienſis Baſileam pervenêre, qui mox literis humaniſſimis Univerſitatem noſtram ad ſuos quoque Legatos quàm primùm mittendos adhortabantur. Harum literarum mentio fit in Actis noſtris ſequentibus verbis: *Proximâ feriâ quartâ ante Feſtum S. Urbani fuit congregatio Univerſitatis ad audiendum literam Univerſitati noſtræ ab Univerſitatis Pariſienſis ad Concilium generale Ambaſſiatoribus à Baſilea tranſmiſſam.*

Acceptæ præterea ſunt 9. Novembris aliæ quoque literæ à Paſſavienſi Epiſcopo Doctoribus noſtris tranſmiſſæ, quibus petebat, ut Univerſitas noſtra Puncta, & Articulos concipiat rerum proximè in Baſileenſi Synodo gerendarum, plenámque ſibi inſtructionem de negotiis ibidem feliciter pro Eccleſiæ ſuæ, Auſtriacæque Provinciæ commodo tractantis præſcribat, cùm ad eandem à Cardinale S. Angeli invitatus, ſuos quo-

que ipse oratores eo mittere decrevisset. Quibus perlectis à senatu Academico delecti sunt singulis è Facultatibus sequentes, M. scilicet Nicolaus de Dinckl-spichl, & M. Joannes Hymmel Theologi. M. Paulus Facult. Juridicæ Decanus, è Facult. Medica M. Joannes Paumgarten, & M. Petrus, ex Facultate demum Artium M. Narcissus Herz, M. Urbanus de Mellico. M. Georgius Apsentaller, & Andreas de Weytra, qui probè, seduléque expensis omnibus petitioni Passaviensis Præsulis satisfecêre. Cúmque eodem tempore à Cardinale Juliano Basileensis Concilii Præside Universitas quoque nostra ad id celebrandum invitata sit, hinc iisdem deputatis demandatum est. ut de Legatis proximè mittendis déque sumptibus & expensis colligendis cogitarent. Quamvis in sequentem primò annum Oratorum nostrorum discessus sit dilatus.

Hac ratione cùm per Germaniam, vicinásque Regiones ad celebrandum Synodum ferverent omnia, Eugenius unus cum aliquot Cardinalibus eam turbatum ivit, literis siquidem ad Cardinalem Julianum datis dissolvi hoc concilium jusserat, aliúdque post annum cum dimidio Bononiæ indici, his ferè è causis, quod ab Imperatoris, & Patriarchæ Constantinopolitani Oratoribus ad concilium convocandum urgeretur ad unionem utriusque Ecclesiæ, delectâ ad hoc Bononiâ Italiæ civitate, nec verò è re fore putaret Christianæ Reipublicæ eodem tempore locis adeò inter se dissitis bina Concilia si haberentur. Addidit, & exiguum Patrum Basileam convenientium numerum esse, & urbem hanc ipsam, ac vicina loca ob Burgundiæ & Austriæ Ducum bella armis infesta, multósque Basileæ è civibus Hussitarum hæresi contaminatos censeri, quamvis genuinam causam Eugenio fuisse putent alii, ob quam dissolvere Concilium meditabatur, quod inaudiêrit nonnulla ibi tractari cœpisse, quæ fore in suæ autoritatis, ac sedis Apostolicæ diminutionem verebatur.

Acce-

Acceptis his Eugenii literis, hæsit aliquantùm anxius Julianus Cardinalis, obtemperandúmne sibi esset Pontificis mandato, an continuandum Basileæ Concilium? verùm cùm in dies accrescere cerneret confluentium Præsulum, ac Doctorum numerum, summéque necessarium Germaniæ Bohemiæque turbatis his temporibus videretur, ut Synodus ibidem fieret, conventu generali cum Patribus habito sessionem primam indixit in diem decimam quartam Decembris, missíque illico sunt Nuncii ad Eugenium, ac Sigismundum Cæsarem, Mediolani ad accipiendam coronam ferream tunc fors commorantem, qui eosdem ad fovendum, conservandúmque Basileæ Concilium adhortarentur.

Rescripsit Sigismundus officio plenas Mediolanô literas, collaudatísque Juliani, Patrúmque studiis, eosdem ut cœpto tam præclaro operi insisterent, turbatorésque Concilii pœnis, ac censuris coërcerent, commonuit. Acturum se denique cum Eugenio (quemadmodum jam ante literis fecerat) pollicebatur, nè Synodum tam Ecclesiæ, Imperiísque rebus necessariam in locum alium, tempúsve transferat. Verùm mens alia longè Pontifici fuit, qui indignatus à Juliano, Patribúsque ad Basileense Concilium Bohemiæ hæreticos invitatos, ut causam ibidem agerent, eorúmque querelæ audirentur, quos Constantiensis & Senensis Synodus dudum antea tanquam perfidos, pertinacésque damnaverat, atque in quos sacrum bellum suadente Pontifice, jubentibus Conciliis à Principibus Christianis susceptum jam fuerat. Publicô decretô 15. Calend. Januar. de plenitudine autoritatis Apostolicæ, Concilium si quod Basileæ cœptum esset (ignarus enim etiamnum Pontifex erat eorum, quæ prima in sessione acta sunt) dissolvi præcepit, datis ad Sigismundum aliósque Principes simul literis, quibus eos de hoc suo consilio, mandatóque admonebat, eósque ad Bononiense post annum cum dimidio cogendum,

ac poſt decennium Avenionem invitabat. Verùm quid Sigismundus reſcripſerit, quídque exinde Baſileæ actum ſit, poſterior annus commodiùs referet.

Annô 1432. Sigismundus Imperator graviſſimam ad Eugenium, querelísque plenam dedit Epiſtolam, qua & argumenta omnia, ob quæ diſſolvendum Concilium putabat Pontifex, ſolidiſſimè enervavit, maláque ex ejuſdem diſſolutione emanatura in totam Ecclesiam apertiſſimè objecit, tandémque obteſtatus eſt, nè Expectationem Chriſtiani orbis falleret, armáque, ac triumphi materiam Huſſitis præberet, qui ad hanc Synodum invitati metu ſui, ac Catholicorum diffidentiâ diſſolutum, abruptúmque fuiſſe Concilium apud credulos facilè rumorum animos gloriabuntur. Similia ab aliis Europæ Principibus Baſileenſis Synodi ſtudioſis perſcripta ſunt ad Eugenium, & à nemine uno ſeveriùs, quàm à Juliano, qui rejectis, diſſolutísque rationum momentis omnibus, graviſſimísque Eccleſiæ incommodis, quæ obventura eſſent, propoſitis, carcerem ſe potiùs ſubiturum, & vincula, quin & ſanguinem & vitam proſuſurum aſſeruit, quàm hanc ut aſpergi Religioni Catholicæ labem pateretur. Id demum obteſtatus Pontificem, ut ſi obfirmatô eſſet ad transferendum Baſileâ Synodum animô, in longius ſaltem tempus id ſuum ut conſilium differret, dum ea, quæ præclarè agi Baſileæ jam cœpta ſunt, perficerentur.

Interim, dum Eugenius cum Patribus Baſileæ congregatis hac ratione altercaretur, continuandas illi ſeſſiones ſuas cenſuêre, néve Provinciarum exterarum Præſides, Univerſitatúmque Doctores, ac Oratores Principum à frequentando, adeundóque Concilio deterrerentur, literas dederunt ad ſingulos, quibus continuandam à ſe Synodum declarabant, hortabantúrque, ut ad eandem feſtinarent, ſtatutis etiam in Præſules Pænis, ſi qui vel adire eam, vel oratores ſuos mittere detrectarent. Pervenerunt hujusmodi literæ à Cardinale Juliano da-

tæ

tæ etiam ad Universitatem nostram in Festo S. S. Fabiani, & Sebastiani, uti paulò pòst literæ Sigismundi Romanorum Imperatoris, & Patrum Concilii Basileensis, quibus acceptis, M. Thomas de Haslbach Theologiæ Doctor Orator ab Universitate delectus, postquam jure jurando se obstrinxisset ad ea perficienda omnia, quæ in mandatis habuerat, itineri se illico accinxit, Basileamq; cum Archi-Ducis Alberti ad idem Concilium oratoribus, Domino nempe Nicodemo Frisingensi Episcopo, & Domino Joanne Hymmel Theologiæ pariter Professore circa Festa Paschalia discessit.

Continuabantur interea Basileæ Concilii Sessiones, in quarum tertia decretum est, dandas ad Eugenium esse literas, eúmque rogandum, ut publicis tabulis dissolutionem Synodi attentatam revocaret, atque intra trium mensium spatium vel ipsemet Basileam veniret, vel si id per alia illi negotia non liceret, Legatos suos plena cum potestate mitteret; Cardinales denique apud Eugenium morantes adhortandos, citandósque, ut Canonico impedimento cessante infra tres menses ad dictam Synodum accedant, alioquin provisuram eam necessitatibus Ecclesiæ, ac processuram contra eos & via, & ordine Juris.

Advenerunt subinde Oratores Eugenii, sed cùm & illi nil aliud agerent, decideréntve, quàm ut Patres Basileâ discederent, atque in quamcunque Italiæ Urbem ab ipsis assignandam convenirent, cúmque nullis mediis amoveri ab opinione sua Pontifex posse videretur, contumaciæ primum in Concilio accusatus est, quod neque Decretum de eo dissolvendo revocârit, neque accedere ipse, aut suos Oratores, qui Concilium promoverent, mittere voluerit, ac demum Sessione septima eidem 60. dierum spatium præfixum, inter quod, nisi Patrum desideriis satisfaciat, pænæ etiam in illum decretæ sunt.

Anno 1433. quarta Januarii Bohemorum Oratores cum trecentis equitibus Basileam ingressi sunt, quo-

 rum

rum Principes erant Guillielmus Coſca cognomento Procopius, Joannes Rockyſana Presbyter, Pragenſiúmque Pſeudo-Apoſtolus. Nicolaus Galecus Thaboritarum Sacerdos, & Petrus Payne Anglus è patria profugus, qui benevolè auditi quatuor præcipuè petebant, ſcilicet Communionem ſub utraque ſpecie, ut corrigerentur & eliminarentur peccata publica, ut libertas eſſet prædicandi verbum Divinum, atque ut omne Clericorum tolleretur civile Dominium. Perſcripſit hæc omnia ad Univerſitatem hanc noſtram M. Thomas de Haslbach, quidque ex arbitrio agendum ſibi in Concilio eſſet, erudiri petiit, cujus tum his ſuper rebus ſententiam referre ex ipſis Actis noſtris placuit.

Decimaſexta Martii congregata eſt Univerſitas ad audiendam literam Univerſitati ab ejus Ambaſſiatore transmiſſam, Et erat primum Punctum: An Dominus Ambaſſiator conſentire deberet, quod Boëmis & Moravis permitteretur Communio Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie & an conſentire deberet in electionem novi Papæ, ſi in caſu Dominus Eugenius Papa infra terminum à Concilio ſibi præfixum non compareret per ſe, aut per ſuos in Baſilea, & Concilium contra eum juxta ſua Decreta ad electionem novi Papæ procederet. Secundò Puncto deſideravit Dominus Ambaſſiator, quòd Dominus noſter Princeps ſuper hac re viſitaretur, & mens ejus ſuper hoc requireretur, ac ſibi Ambaſſiatori ſignificaretur, cum aviſamentis, & motivis. Et placuit Univerſitati, quod Ambaſſiator nequaquam conſentiret in Communionem ſub utraque ſpecie Huſſitis concedendam, ſed quòd pro poſſe reclamaret, & ſi reclamatio illius nil efficeret, quod ſtatim ad Univerſitatem rediret. Sed de electione novi Papæ, conſenſu, & viſitatione Principis pro inquirenda ejus voluntate, ſuper hoc placuit Univerſitati, quòd eſſent Deputati cum pleno poſſe ad deliberandum quid Univerſitati expediat; item ad viſitandum Principem, & ad inquirendam ejus mentem;

tem; similiter Dominum Episcopum Pataviensem, & Frisingensem (hìc enim jam è Concilio redierat) *& ad concipiendum avisamenta, & motiva digerenda nostro Ambassiatori; aut toti Concilio Basileensi ex parte utriusque articuli, & signanter de Communione sub utraque specie.*

Et verò disceptatum est acriter Basileæ adversùs Hussitas, Bohemorúmque Legatos, cum quibus, quia concordia ibidem iniri haud potuit, Remissi iidem adjunctis è Concilio Viris quibúsque doctissimis, ut Pragæ conventu indicto pacis ineundæ viam, modúmque statuerent, ubi etiam negotium eo perductum est, ut tres eorum superius à me adducti articuli ultimi mitigarentur à Concilio, primus verò de Communione sub utraque specie Bohemis admitteretur, adjecta tamen ea cautione, ut usus calicis non daretur nisi iis, qui discretionis debitæ annos agerent, sítque Sacerdos Communionem sacram præbens populo, eundem admoneret: *Firmiter credendum esse, quòd non sub specie panis tantùm caro, nec sub specie vini sanguis tantùm, sed sub qualibet specie est integer totus Christus*, post quæ tandem Pacem & unitatem Ecclesiæ amplexuros se Bohemi promisêre facto super his actis instrumento publico, quod vulgo compacta sua vocitarunt.

Redditæ hoc eodem anno ab Oratore suo missæ Universitati sunt literæ, quarum Synopsim ex Actis nostris referam, ùt inveni: *Petivit Ambassiator ab Universitate, quod ipsa mitteret, & sibi adjungeret quendam cooperatorem, seu directorem in causis tractandis in Concilio, & non placuit Universitati ob certas causas aliquem mittere. Secundò petivit Ambassiator, quatenus Universitas referret Domino Nicodemo Episcopo Frisingensi gratias de multis beneficiis sibi per eum in Basilea acceptis, & de multis aliis honoribus. Et statutum tunc fuit, ut Rector cum Doctoribus eum accederent, & ei regratiarentur. Tertiò petivit Ambassiator, ut Universitas*

versitas scriberet, & regratiaretur Doctoribus, & Magistris Ambassiatoribus studii Parisiensis, qui eum præ aliis omnibus ad sua colloquia, & consilia vocarent, ac magnas humanitates, & beneficia eidem exhiberent. Et etiam circa hoc statutum est, ut scriberetur præfatis Doctoribus Parisiensibus. Quartò denique petiit Ambassiator noster, ut sibi Universitas sæpiùs scriberet, & se consolaretur, & etiam de hoc conclusum est.

Demum ut annum hunc feliciter claudamus, post diuturnas discordias inter Eugenium & Concilii Patres exercitas concordia rediit. Mitigatus siquidem Sigismundi Cæsaris, & Caroli Franciæ Regis Legationibus, precibúsque Pontificis animus, metuens aliunde Italorum Principum in se molitiones, atque, quod gravius pungebat mentem, schisma novum in Ecclesia subnasciturum, adhæsit tandem Concilio Basileensi, ea tamen lege, ut Patres decreta contra se abolerent, ipse vicissim Concilii hucusque acta rati haberet. Quo facto Universitatem hanc nostram literis ad Concilium illud Eugenium invitâsse, haud obscurè intelligitur ex Actis nostris, quæ sequentia ad hunc annum referunt.

Congregata est Universitas ad audiendam quandam Bullam à Sanctissimo Domino nostro Papa Universitati transmissam, & ad deliberandum super contentis, & desideravit Sanctissimus Dominus noster Papa, ac petivit, & mandavit, ut Universitas suos exactores mitteret ad Concilium generale Basileense, quod Sua Sanctitas approbavit, confirmavit, & eidem per se, aut suos præsidere vult; & placuit Universitati, quod M. Thomas de Haslbach Ambassiator Universitatis actu ibidem existens permaneret ibidem ad desiderium, & mandatum Domni Apostolici, & ulteriùs hoc, quod idem Ambassiator non consentiret Hussitis in Communione sub utraque specie. Item conclusum fuit, quòd, quàm primùm fieri posset, hæc scribenda essent Ambassiatori.

Adeò

Adeò nempe Universitas hæc nostra & cordi Summis tum erat Pontificibus, & in amoribus matri suæ Academiæ Parisiensi, cujus uti ad normam est condita, ita præclara illius gesta strenuè æmulabatur.

Annum 1434. insignem reddidit clades Thaboritarum sectariorum per Bohemiam genus ferocissimum, infestissimúmque Catholicis, cujus origo priori ab anno petenda est. Ferebant jam tum graviùs Barones Bohemiæ, ùt ùt Hussitarum partibus addicti Procopii omnia pro libitu administrantis, Thaboritarúmque præcipui Ducis insolentiam, ac durius, quàm par erat, imperium. Quare Mainardus Neuhaus vir primæ nobilitatis, autoritatisque inter suos, convocatis ceteris indignum dicebat, ut qui Regis sui Sigismundi imperium rejecissent, Rasi (ita enim Procopium vocitabat) jugum ferrent longè durissimum. Deligendum igitur esse Ducem alium, apud quem annua duntaxat potestas esset, nè pro libidine agerentur omnia, néve usurpare sibi Barones imperium viderentur, è media nobilitate virum assumendum Reipublicæ, tractandarúmque rerum peritum. Comprobata illico omnium suffragiis Mainardi est sententia, Dúxque creatus Alsico Risemburgensis, homo è nobili quidem prosapia, sed cui census exiguus, eo quidem pacto, ut apud eum Majestatis quidem insignia, autoritas apud Mainardum summa esset. Non tulit id factum inultus Procopius, raptim Thaboritanæ hæresis, orphanique populi fæcem convocat, centuriatur gens non nisi prædis, latrociniisque assueta, urbémque Pilznam, quæ avitis nunquam à sacris, etsi tentata pluries, decesserat, obsidione pertinacissima cingit. Perlata est hujus fama ad Concilium quoque Basileense, quod ea quæ poterat ferens subsidia, Principes adhortatum est, afflictæ ut urbi succurrerent, suppetiásque mitterent. Et verò feliciter hoc anno id actum; Alsico nempe collectis in suum exercitum Catholicorum manipulis, pulsô Procopiô obsidione primùm Pilznam liberat,

mox

mox die Ascensionis ad conferendas secum manus hostem cogit, quo in prœlio maximâ parte Thaboritarum, orphanorúmque cæsâ, Sigismundum Regem populus proclamat, ac tandem in comitiis Ratisbonæ habitis eundem Bohemiæ Oratores ad capessendas Regni habenas invitant. Meminêre etiam cladis hujus Thaboritis illatæ Acta nostra his verbis, quæ reddo: *Dominica secundâ post Pentecosten facta est congregatio Universitatis, ubi concludebatur, cùm habita fuerit magna victoria contra Hussitas, ut continuarentur stationes pro futuro, & etiam quia dicebatur de exitu Ducis nostri contra infideles, quod post exitum Principis eadem continuentur.*

Ex quo patet, studium Religionis quantum ævo illo in Doctoribus nostris fuerit, qui ad placandam Numinis iram, extirpandámque hæresim preces constanter in templis fuderunt, ad quas statis diebus, horísque Universitatis Alumni, & Magistri convenirent.

Annô 1435. Albertus Archi-Dux bellum, quod priori jam anno meditabatur, strenuè adeò suscepit, gessítque feliciter, ut junctus Hungarorum agminibus, quos adjutum ibat, victoriam insignem retulerit cæsis plus quàm 18. Barbarorum millibus.

Disceptatum quoque quamvis mitiori modo à Basileæ congregatis Patribus cum Bohemis est, qui haud prioribus compactatis stare, quin nova, atque alia semper & alia postulare à Concilio visi sunt. Hinc petente Sigismundo Cæsare novi Legati à Synodo Brunam destinati, qui Bohemos penitus ab erroribus reducerent, atque ita rem pertractarent, ut concordia plena rediret Ecclesiæ. Interfuerunt huic legationi Philibertus Episcopus Constantiensis, Joannes Palomar, Ægidius Carletius, atque Universitatis nostræ ad Concilium Orator M. Thomas de Haslbach, qui hoc anno Viennam redux summo cum Doctorum nostrorum gaudio, atque gratulatione susceptus est, eìque ob res præclarè, atque pro Archi-gymnasii nostri honore

perpe-

perpetuo strenuè felicitérque gestas, gratiæ à Senatu Academico amplissimæ sunt habitæ. Et verò quanta illius apud Basileenses Patres fuerit autoritas, haud obscurè declarant negotia, Legationésque illi à Synodo commissæ, atque inprimis Jubilæi per Austriam promulgatio. Sententia quoque non semel in Patrum consessu dicta, habentúrque adhuc in Bibl. Academ. puncta quædam nomine Facultatis Theologicæ Viennensis ibidem proposita in Synodo, atque M. Thomæ examen super aliquot Articulis M. S.

Cupiebat quidem Facultas Artium, ut Brunam cum ceteris Legatis discedens M. Thomas jurejurando priùs teneretur, quo nunquam Universitatis nomine se in usum S. Galicis consensurum obstringeret. Verùm ob reverentiam S. Concilii, quod communionem sub utraque specie Bohemis jam indulserat, hoc super articulo nihil conclusum est.

Auspicati sunt Basileenses Legati congressum cum Bohemis mense, ùt ex nostris actis colligo, Junio, non tamen convenire in veram unionem potuêre cum pertinacioribus ingeniis ante mensem Januarium anni insequentis, quo quidem tempore remissi à Legatis Basileam sunt aliqui, qui responsum, voluntatémque Patrum referrent, reliquis interim Viennæ Austriæ morantibus, ubi etiam jussu Concilii Universitas hæc nostra visitari cœpta est à Philiberto Constantiensi Episcopo, & Palomaro sæpiùs à me nominato, repugnantibus quidem primùm Doctoribus nostris, at mox, ubi nihil in privilegiis, ac statutis à se immutatum iri Oratores Concilii spopondissent, eosdem etiam ad id invitantibus. Verùm cùm toties mentio Joannis Palomari hactenus facta sit, non inutile duxi plura de viro hoc egregio addere. Possevinus Hispanum eum fuisse scribit, quamvis nomen à Germano non abludat. Decretorum Doctor eximius erat, Summi Pontificis Sacellanus, Sacri Apostolici Palatii Auditor, & Barcinonensis Ecclesiæ Archi-Diaconus, demum in recèns

cèns inchoato Basileensi Concilio Præses delegatus, quódque ad Universitatis nostræ gloriam cedit non minimam illius quoque aliquando Alumnus, ad quam Doctorum nostrorum famâ accitus venerat. Testatur id inter alios Trithem. de script. Ecclesi. his verbis: *Vir hic in Archi-gymnasio Viennensi scriptis, vitâ & conversatione clarus, tam in Divinis scripturis, quàm in secularibus literis nobiliter doctus, ingeniô subtilis, Annô Domini MCCCCXX.*

Hoc demum eodem anno M. Joannes de Gmunda libros suos, atque instrumenta Mathematica Facultati Artium donavit, usu tamen eorundem dum viveret reservato, quæ viri eruditissimi liberalitas Bibliothecæ ejusdem Facultatis augendæ, & singulos in annos novis voluminibus locupletandæ ansam dedit, Librario (ita nempe eum vocitabant, qui Bibliothecæ curam gereret) annis singulis delecto, qui libros utiles, eruditósque Facultatis sumptibus coëmeret, emptósque conservaret.

Cum priori anno Basileensis Synodus missis Constantinopolim Legatis, eo cum Græcis rem perduxisset, ut Oecumenicum in Occidente Concilium fieret, cui & Eugenius Pontifex, & Patriarcha Constant. interesset. Patres Concilii Basileensis Articulos aliquos Anno 1436. cum Græcis eo in Concilio tractandos excogitarunt, quos ad primas Europæ Universitates transmisêre, inter quas & Viennensis hæc nostra, cujus Acta ita referunt:

In die S. Annæ congregata est Universitas ad audiendam literam ad Nuncium S. Concilii Basileensis, & fuit illa litera cum gratiarum actione recepta, & audita, & Nuncius ipsius Concilii reverenter auditus, scilicet M. Joannes Hymmel, Doctor Universitatis nostræ, qui proposuit duo inter cetera, priusquàm litera credentiæ fuit audita. Primùm, essent aliqui Deputati, ut desideravit, in materia Græcorum, qui articulos eorum masticarent disputando, respondendo, opponendo; ut dispositi essent ad obviandum, & respondendum in prædictis

dictis Articulis in Concilio, & illud primum punctum obtulit præfatus M. Hymmel duabus superioribus Facultatibus scilicet Theologiæ, & Juris Canonici, & fuit conclusum tum. quod illæ duæ Facultates deberent se disponere ut superiùs tractatum est.

Dum sic reducendis ad unionem Græcis & Eugenius, & Basileensis Synodus studeret; pax quoque Bohemiæ simul & Ecclesiæ reddita est, consessu nempe Iglaviæ celebrato, cui & Sigismundus Cæsar, & Albertus Dux Austriæ cum Alsicone intererant, Rockysana præcipuus Pragensium Doctor cum quatuor aliis Presbyteris Cleri totius nomine obedientiam Romanæ sedi jurejurando professi sunt, omnésque Bohemi anathemate soluti.

Postquam anno 1437. Sigismundus Imperator optimè de Ecclesia meritus 6. Idus Decemb. diem extremum clausisset, Hungariæ & Bohemiæ quidem in Regna Anno sequenti, millesimo scilicet quadringentesimo trigesimo octavo successit gener illius Albertus ejus nominis inter Archi-Duces Austriæ quintus, qui tamen Romani Imperatoris nec nomen, nec Jura suscipere aliter voluit, quàm Universitatis nostræ Doctoribus & Consultis, & gravissimis eorum rationibus convictus. Rem narro Haslbachii viri Alberto, ut ita dicam conjunctissimi.

Anno igitur Domini 1437. Sigismundo Rege Hungariæ atque Bohemiæ, &c. sublato de medio Dux Albertus anno 1438. die ipsa circumcisionis Dominicæ in Regem Ungariæ eligitur, & in Alba Regali regaliter legitimè coronatur. Ibidem quoque Domina Elisabeth, (Alberti nempe uxorem, & Sigismundi Filiam Autor intelligit) *sua corona insignitur; post quam coronationem ferè LXXXIII. militari baltheo accinguntur:* Et post pauca: *Eodem etiam anno in Dominica Reminiscere adunitis Electoribus in Franckfordia præfatus Albertus Rex concordi voto omnium eligitur in Regem Romanorum, missis quoque Legatis cum Decreto Electio-*

K nis,

nis, multis adhibitis persuasionibus Legatorum Papæ, Concilii, Dominorum Friderici Senioris Austriæ, Comitis Tyrolis, Patris Sigismundi Austriæ Ducis, & Nepotum Friderici Junioris postea Cæsaris, & Alberti ejus Germani Ducum Austriæ tum præsentium, nec non Universitatis Prælatorum, Cleri, & Civitatis Wiennensis, dum invitum plurimùm se ostenderet, & se à lachrymis ultra cohibere non posset; ad partem secedens inductus annuit, licet firmo proposito præviè id se minimè facturum devoverit; humiliter se recognoscens in hac parte imperfectum, & se majora suis meritis actu possidere fortassè officientia suæ saluti, adjiciens illud Evangelicum meis in auribus: quid prodest homini, si universum mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur. Eodem etiam anno currente die S.S. Petri & Pauli Apostolorum feliciter insignitur coronâ Regni Bohemiæ in castro Pragensi, ubi similiter multos militari gladio accinxit, &c.

Dum ita res prosperè evenirent in Austria, nova turbatio Ecclesiam atque Romanam sedem incessit. Decrevit nempe anno 1437. Eugenius, ut ad Oecumenicum Concilium tam Orientis, quàm Occidentis Patres Ferariam convenirent; Basileæ ex adversò congregatîs Avenionem, aut Sabaudiæ Urbem deligentibûs. Quare missi utrimque ad Græcos Legati, apud quos tamen Eugenii autoritas prævaluit, qui magno etiam numero Ferariam anno 1438. pervenêre, ubi Concilium confluentibus undique Præsulibus frequentissimum inchoatum est. Indignati haud parùm se à Græcis contemptos, illusósque, Patres Basileenses, quorum jam in dies numerus decrescebat, Eugenium suspendunt ab administratione sui Pontificatûs; quam ad Concilium devolutam declarabant, ac fideles omnes prohibent eidem deinceps obedire. Verùm cassa hæc fuêre fulmina, magna orbis parte Eugenio tanquam vero, legitimóque Pontifici, ejúsque partibus favente, damnante verò cum eodem Basileensium

leensium contumaciam. Albertus cum Electoribus diu anxius cui parti adhæreret, tandem & revereri Eugenium Ecclesiæ summum Antistitem statuit, & tamen Basileense non penitus Concilium deserere, in quo & Legatos à Sigismundo priùs constitutos, Episcopum scilicet Lubicensem, & Georgium Vischl morari ulterius voluit, unde orta est Neutralitas Germanica, quæ in Octavum annum duravit, ab Eugenio æquè ac Concilio Basileensi deinde damnata.

Anno 1439. Archi-Episcopus Salisburgensis ob has ipsas inter Pontificem, & Basileense exortas discordias Concilium cogens ad Universitatem nostram per Nuncios suos literas misit, quibus & Doctores sibi, & Consilium submitti petiit, quemadmodum clarius ex Actorum nostrorum scriptis patebit, quæ subjungo:

20. *Mensis Decembris congregata est Universitas ad audiendas quasdam literas à Domino Metropolitano transmissas, & litera continebat in effectu, qualiter Domini Electores S. R. Imperii ipsum scriptotenus sollicitarent, cujus scripti copia litera Principali fuit inclusa; quatenus ipse dignaretur protestationi, & appellationi eorum qua præfati Principes interposuerunt occasione dissensionis orta inter S. Basileense Concilium, & Dominum Eugenium Papam, qui post disceptationem longam à præfato Concilio à Papatu fuit depositus; cujus depositioni præfati Electores nondum consentientes ab antè dicto sacro Concilio ad futurum appellarunt Concilium. Et quia negotium maximam in se claudebat arduitatem, idcirco Dominus Archi-Episcopus Universitati supplicavit; ut ipsa dignaretur transmittere ad Congregationem, quam ipse facere cogitabat cum suis Episcopis suffraganeis, ac Ambassiatoribus Principum secularium in sua Provincia residentium aliquos Doctores Divini, & humani juris, ad cogitandum, & deliberandum quid ibi expediat.* Super quo conclusum fuit, quod deberent dari Deputati de singulis Facultatibus, quamvis ab eis

 con-

conclusum hoc anno ob rei maximæ difficultatem nil fuerit.

Dum his angeretur curis Universitas, dubia cui partium subscriberet, nova eam, ac inopinata, calamitas afflixit, mors nempe Alberti Romanorum Regis, non tam Principis, quàm Parentis optimi. Evocatus is in Hungariam dolô parùm fidi sibi populi, ut, quem cum exercitu imminere ingenti dicebant, Turcam è Regni finibus depelleret, submoverétque æmulos, haud è longinquo instantes. Cùm prope Budam inter paludes castra metaretur expectaturus Hungarorum copias, quas adfuturas proximè Proceres adpromisêre, delusum se sentit, nè tam armis, quàm morbis exercitum, nobilissimósque Viros amisit, & reparari fors ea clades, tantíque apparatûs bellici jactura potuisset, ni pernicies quoque in Ducem, Regémque ipsum desæviisset, è dissenteria enim laborans cùm iter Viennam maturaret, in oppido, quod villam longam vulgari, patrióque sermone vocitant, ingravescente morbi pertinaciâ gradum sistere jussus, sacrísque expiatus vitam, ùt sanctè duxerat, finivit 27. Octobris annô 1439. ultimò in hæc verba erumpens: *Domine ignosce his, qui in hac morte mea rei sunt, & ego eisdem ignosco propter te; ut & tu mihi indulgeas misericorditer, quæ in te deliqui.* Ut eadem verba historiæ suæ inseruit Haselbachius ævi illius scriptor, Albertóque ut sic dicam familiarissimus, qui ingenti quoque luctu mortem optimi hujus Principis ibidem prosequitur. Vir erat Albertus pacis, belli- que studiô maximus, literarum amans, & literatorum fautor egregius, Religionis tuendæ zelosissimus, ut profectò non immeritò, dum viveret, Sigismundus de eo dicere auditus sit: felicia fore ea Regna, quibus talis Princeps obtigisset. Liberos reliquit tres, scilicet Annam, quæ Duci Saxoniæ Wilhelmo nupserat, Elisabetham, & Ladislaum posthumum, quem uterô tum gerebat mater Elisabetha. Hæc annos non-

dum

dum triginta expleverat, novis apta connubiis videbatur, ad quæ eam Hungariæ Proceres ùt ùt partui vicinam, minis etiam intentatis cogebant. Cedebat consilii expers mulier aliquantum justo timori, literásque ad Uladislaum Poloniæ Regem tunc propè adolescentem dedit, quibus eum & in consortem thalami, & in Hungariæ Regem poscentibus sic primæ nobilitatis viris adscivit; quas tamen jam metu soluta, libertatique majori reddita mox missis in Poloniam Nunciis, ceu iniquo timore extortas revocavit. Venit hoc eodem anno Viennam Fridericus Archi-Dux Austriæ Alberti ex Ernesto fratre Nepos administraturus Rempublicam, ingentique apparatu procedente eidem obviam Universitate nostra in urbem inductus est.

Annô 1440. cùm Posonium properaret Elisabetha, Ladislaum secundo partu enixa est 22. Febr. qui mox ab Archi-Episcopo Strigoniensi Demetrio sacrâ baptismatis undâ ablutus, atque brevì pòst Albam Regalem deductus est, ubi præsentibus Alberto Archi-Duce Friderici Fratre, & Udalrico Comite Ciliæ Regis insignia eodem anno suscepit, eáque Posonium secum incolumis, salvúsque perduxit. Sed non diu Matri Elisabethæ cum Rege filio pacatæ, securæque esse licuit, Uladislaus námque à Proceribus in Hungariam evocatus jam Budam occupaverat, ingentique cum exercitu Posonium properans urbem obsidione cinxit pertinaci, certus æmulum in ea cum Regni insignibus capere, cúmque iis pacatô tranquillóque Regnô potiri. Sed obstitit ejus molitionibus clementius Ladislao Numen, hyems nempe aspera adeò & equos, & fortissimos quosque militum absumpsit, ut obsidionem solvere hoc etiamnum anno oportuerit, Matríque Elisabethæ viam pandere, qua cum Rege, ac Regni ornamentis ad Fridericum in Austriam confugeret.

Bohemi quoque Regnum eodem anno Alberto, tum etiam

etiam Friderico obtulerunt, ſed rarô magnanimitatis exemplô ab utroque repulſi ſunt, paſſúsque eſt Fridericus à Duum viris eo uſque adminiſtrari Bohemiæ Regnum, donec Ladislaus adoleſceret, ac par Regni ferendis, tractandísque negotiis eſſet. Verùm dum hujus quidem coronam Fridericus reſpuit, alterâ Francofordiæ, eáque nobiliori Electorum ſuffragiis donatus eſt, Alberto II. ſucceſſor Romano in Imperio deſignatus, cujus etiam gubernacula ſuſcepit Neapoli Auſtriæ, cujus quidem ſolennitatis & participem quoque facere Univerſitatem hanc noſtram Princeps optimus voluit, ùt ex ſequentibus Actorum noſtrorum verbis, quæ ſubnecto, patebit.

21. Martii congregata eſt Univerſitas ad audiendum deſiderium Principis de quibuſdam perſonis ſibi ab Univerſitate ad novam civitatem mittendis, & ad cogitandum, quid circa hoc expediat. Siquidem Dominus Fridericus Dux Auſtriæ, pro tunc Tutor Auſtriæ nomine Illuſtriſſimi Principis noviter nati, ſcilicet Ladislai Filii Alberti Glorioſiſſimi olim Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ Regis, nec non Ducis Auſtriæ, Marchionis Moraviæ &c. electus fuit in Romanorum Regem, qui volens electioni de ſe factæ conſentire, & gubernaculum Sac. Rom. Imperii aſſumere in feſtis Paſchatis pro tunc de propinquo inſtantibus, deſideravit, ut Dominus Rector adjungeret quatuor ſibi de Univerſitate, qui ſolennitati illi intereſſent. De quo concluſum fuit in Univerſitate, quod Rector cum quatuor de quatuor Facultatibus aſſumptis transmearet ad Novam Civitatem ſub expenſis Univerſitatis. Et 10. Aprili retulerunt Legati, quomodo ibi honorificè erant apud Dominum Regem tractati, & ſolenniter in conſilio locati, & ſimilia Univerſitas gratulanter audivit, ac ipſis Deputatis de eorum diligentia gratiarum actiones retulit.

Hortabatur eodem anno hoc datis à ſe literis Univerſitatis noſtræ Doctores Fridericus Imperator, ut cum Dominis Epiſcopis Paſſavienſi, & Friſingenſi, qui ambo

ambo eidem è consiliis erant, certum in locum convenirent, cogitaréntque, quid in negotio Ligæ, & Neutralitatis Germanicæ Domino Archi- Episcopo Salisburgensi consilii dandum, quidve respondendum eidem esset; convenit his lectis Universitas sedulò, rémque consiliô maximô pertractabat, at concludi nil potuit, Facultas námque Theologica, cui se etiam Artium Magistri adjunxerant, nequaquam ulli suadendum esse censebat, ut sæpiùs memoratam Ligam, seu unionem iniret, quin potiùs dissuadendam esse eam omnibus tanquam perniciosam, nec fundamento ulli fido, autoritatique innixam; aliis interim duabus licitam, ac laudabilem eam esse contendentibus.

Hoc quoque anno lis quædam gravior Universitatem exercuit; cùm enim uno, alteróve abhinc anno ejectus ex Universitate Rectoris sententiâ fuisset M. Künigshoven, is Basileense Concilium querelis adversùs Universitatem nostram copiosè, disertéque effusis ita implevit, ut acerbissimis literis eandem tanquam iniquam perstrinxerit; agi jam per amicos patronósque, quos Basileæ Doctores nostri habebant, superiori anno Universitatis causa cœpta est, sed cùm parum proficere se cerneret, hoc demum tempore mittendum ad BasileensesPatres M. Joannem Himmel decrevit, qui etiam negotium ibidem ita feliciter, prosperéque gessit, ut non solùm ab omni culpa Universitatem expurgârit, sed & nova à Concilio privilegia eidem concessa retulerit, quæ inter & illud, quod data jam prioribus annis Rectori in Universitatis alumnos omnes Jurisdictio, potestásque summa denuo confirmata sit.

Memorabile demum & illud hoc anno contigit: Medicinæ fors Doctores furis è patibulo suspensi emortuum, ùt credebant, corpus anatomiæ destinaverant, verùm cùm frequenti circumstantium in corona Chirurgiæ, Medicinæque periti manum admoverent operi, corpúsque calidiore fors loco positum aqua tepente lava-

lavarent, his ceu fomentis suppressus tantisper spiritus artubus rediit, moveri illud lentè, oculos attollere, erigere corpus, ac loqui demum, & considere, obstupescentibus singulis, casúmque inopinum reviviscentis miseri hominis demirantibus.

Annô 1441. rursus literis suis Fridericus Imperator Universitatem nostram cohortatus est, ut Doctores aliquos Theologiæ, ac Juris Canonici peritos ad Francofordiensem conventum jam indictum mitteret, certis mandatis instructos ad dirigendos Principum animos, consilisque juvandos, quid ad reparandam Ecclesiæ unionem agere, quidve moliri deberent. Cúmque aliis rursus idem Imperator in Oratorem suum ad dicta comitia mittendum M. Thomam de Haslbach designâsset; addidit, ut Universitas, quid de Neutralitate illa, ac Liga Germanica arbitraretur, eidem Imperii Principibus declarandum committeret. Actum de hoc non segniter inter Doctores est; verùm ob rei difficultatem immodicam placuit singulis, nè quid ab Universitate hoc in negotio aut suis, aut Principis Oratoribus in mandatis daretur, quo vel approbare per se, suósque, aut improbare apertè Ligam eam videri posset. Ex quibus patet, non modò Universitatem hanc nostram dictæ Neutralitatis Germanicæ ab aliis gravissimè incusatæ autorem non fuisse, sed nec eandem unquam suâ totius congregatæ sententiâ (quidquid privati Doctores de ea senserint) comprobâsse.

Annô 1442. indicto Posonii conventu inter Ladislaum, & Uladislaum Poloniæ de pace tractari cœptum est, ùt ex Actis Universitatis nostræ patet, de hoc mentionem facientibus in hunc modum: *Die SS. Petri & Pauli congregata est Universitas ad audiendum Dominæ nostræ Reginæ Ungariæ, nec non Dominorum Inclytæ hujus Patriæ Præsidentium desiderium; & continebatur in literis, quod ipsa instantissimè peteret, quatenus Universitas Doctores in eadem litera nominatos mittere dignaretur ad dictam inter ipsam, ac ejus*

ejus dilectissimum Filium Dominum Ladislaum hujus terræ Ducem, ac Hungariæ Regem ex una, & Regem Poloniæ parte ex altera, in ejus civitate Posonio habendam; & conclusum fuit, quod duo essent mittendi; scilicet M. Narcissus in sacra Pagina Doctor, & Dominus Joannes Polzmacher Juris Ordinarius, qui etiam à Regina erant nominati. - - Et in die S. Kiliani rursus congregata est Universitas ad audiendas rursus literas missas à Serenissima Regina nostra, quibus rursus instabat, ut Doctores à se priùs petiti mitterentur ad Dietam Posonium, & quia videbatur quædam difficultas de expensis à Regina faciendis; contribuerunt Facultates; & decretum est proximè mitti debere.

Verùm nil magnopere pro Elisabethæ, ac Filii, Ladislai felicitate hìc actum esse patet vel ex eo, quod Regina rebus suis diffidens, animósque Procerum Polono perfidè faventium obfirmatos intelligens, paulo post se Neostadium ad Fridericum Imperatorem unà cum Ladislao Filio contulerit, ut hostium insidias evitaret, adductis unà secum Regni insignibus, ac D. Stephani coronâ, ne iisdem Polonus æmulus in Regem inaugurararetur.

Eodem hoc anno Fridericus Cæsar Francofordiam ad Imperii comitia, mox inde Aquisgranum abiit, ut in Romanorum ibidem Regem coronaretur. Decretum est in eodem Principum virorum consessu novum rursus proximo ut tempore in Germania Concilium cogeretur, in quo de legitimo, veróque Pontifice Patres statuerent. Et verò extorsit ad id facile Basileensi à Concilio assensum Fridericus Cæsar, qui antea Basileam se non venturum edixerat, nisi Patres ibidem congregati in novum Germaniæ Concilium consentirent. At non ita eam in rem prona erat voluntas Eugenii, qui hoc anno Concilium Florentiâ Romam transtulit. Plurimùm enim miratus, novam à Germanis Synodum peti, cùm generale aliùnde Concilium haberent, id solùm Legatis à se missis respondit:

 deli-

deliberaturum se de hoc negotio cum Patribus, sententiámque suam Imperii se Principibus perscripturum.

Ad hoc quoque novum in Germania Concilium apparandum Universitatis nostræ Doctores à Friderico evocatos esse, ex Actis patet, quorum Verba subjungo:

In die Innocentum congregata est Universitas ad audiendam literam Regia Majestatis Universitati transmissam; & continebat ea, quod ipse Romanorum Rex, & Principes Electores in proxima Dieta Francofordiensi in hanc convenissent summam, quòd de consensu Patrum S. Concilii, & Eugenii instituendum esset alterum Concilium in Germania Oecumenicum, & ab omnibus Fidelibus indubitatum, pro finali Ecclesia Pacificatione. Sed ad deligendum locum, & responsa pro tunc instituta est per Regem & Principes Electores Dieta fienda in proximo festo Purificationis in Nierenberga, ad quam Dietam ipse Rex requisivit, & petiit Universitatem mittere ex se aliquos Doctores illuminatos in Jure Divino, & humano, circa quem Articulum Facultates dederunt Deputatos, & Deputati deliberaverunt neminem esse mittendum, ob defectum expensarum, & quòd Universitas circa adventum Regis se deberet pulchrè excusare de non mittendo.

Ex quibus, etsi initiô duriorem se præbuerit Eugenius, motum eum tamen tum Friderici, tum Electorum precibus, in illud consensisse, ut novum per Germaniam Concilium cogeretur. Cùm Friderici literæ à me in Synopsi datæ expresè referant illud de consensu Basileensis Concilii, & Eugenii celebrandum.

Rediit demum hoc eodem anno è Francorfordiensibus Comitiis M. Thomas de Haslbach, qui cum Friderico Cæsare Basileam excurrens ibidem cum M. Joanne de Kynigshoven convenit, retulitque eundem omni jam lite, quam adversùs Universitatem moverat, cessisse, rogaréque veniam erroris sui, atque ut rursus in eandem reciperetur, cujus etiam tum precibus,

cibus, tum calamitate motus M. Thomas, eo Doctores nostros flexit, ut quosdam è suis deligerent, qui de eo rursus recipiendo deliberarent.

Annus 1443. à periculis domi subortis Universitati nostræ memorandus venit, quæ, ut maxima solent, levissimis initiis ducta, ita tranquillum Academiæ statum succussêre, ut non tam vitium, quàm ruinam eadem agere videretur. Rem paucis expediam. Suburbano fortassis in horto animis vacabant studentium aliqui, jámque inclinante in Vesperam sole Urbem repetebant, cùm obvium in ponte lignorum (sic Acta memorant) Virum nobilem generosiori insidentem equo nanciscuntur clientibus plurimis, famulísque stipatum, quem dum iis in viæ angustiis comiter prætereunt, nescio fortuitò, an volente fors animo factum sit, ut unius, quem è latere suspensum gerebat, gladius leviter sonipedem feriret. Territus ille jam aliunde occurrentium numero, pungi ubi armis insuper se obviis sensisset, detrectare primùm Domini imperium, mox ferocire, ac demum malè etiam habenis moderantem contorto velut in globum corpore sessorem excutere. Suboritur famulorum hinc clamor, inde spectantium, ùt fieri repentinis in casibus assolet, & risus, & intempestiva fors etiam dicteria, sed quibus seu classico ad pugnam clientum animi accendebantur. Jubente Domino hi in exiguum studentium agmen irruunt, proterunt obvios, inque nil simile cogitantes ferrum expediunt. Respectare tandem ad arma cæpere Alumni nostri, cúmque in suppetias, auxiliúmque utrinque convenissent plurimi, ipso in ponte prælium acre committitur, sed iniquo Marte, missilibus námque telis, sagittísque pugnabat Nobilis tam suorum, quàm Civium è mæniis spectantium manu emissis; nostri paratis ad speciem potius, quam ad pugnam armis. Quid multum? sternitur è nostris unus aliquis designante vulneri locum Nobili, telóque ictus exanimis concidit. Sauciatur

lethali

lethali vulnere alius, plurimi leviter percussi, ferróque hostium perstricti sunt, jurgia non alio, quàm nocte ipsa dirimente. Dalata vix indignissimæ hujus rei fama ad Senatum Academicum fuerat, cùm adire cum quatuor Facultatum Decanis Rector ipse juberetur Proceres Austriam tunc absente Friderico Cæsare moderantes. Admissi illi sunt quidem ad Magnatûm alloquium, sed non nisi duos offenderunt, nempe Frisingensem Episcopum, & Austriæ Cancellarium, qui ceterorum nomine tanquam Universitati notiores deligebantur. Excusare illi primùm Nobilis factum cæperant, jam favori indulgentes plusculum aviti generis, & pacatos nos esse volebant: sed restitit & ad monita, & ad preces Rector (erat is M. Joannes Grössl de Titmaning) & M. Joannes Himmel, qui recensentes libera voce quantum ab Alberti temporibus imminuta sint Archi-Gymnasii hujus Jura, quantum violata illius privilegia, quot modis à Civibus vexati Doctores & Alumni nostri fuerint, dissolvendam uno die, quin horâ unâ Universitatem minitabantur, Doctorésque discessuros alio toties externis à Provinciis invitatos, nisi rudis plebeculæ in doctos viros petulantiæ modus statuatur. Hæsêre illi ad non expectatum Rectoris responsum, jámque anxii, consilíque expertes, relaturos se dicebant ad reliquorum Procerum consilium mentem, voluntatémque Universitatis, jubebántque pacem nos interim cum Civibus colere, dum Fridericus rediret Cæsar; daturos tum se demum operam, ut quidquid jurgii hactenus exortum esset, meliori, qua posset via ad Academiæ nostræ honorem componeretur.

Hoc denique anno terminatum est Concilium Basileense tam Eugenio post Florentinum semper invisum, & Germaniæ turbandæ peropportunum post Sessiones quadraginta quinque, in quarum ultima statuêre Patres indicendum post triennium Lugduni aliud, aut si commodè id fieri non posset, Lausanæ.

Crea-

Creavitque suadente eodem Concilio quinque hoc anno Felix Pseudo-Pontifex Cardinales.

Annô 1444. Uladislaus Polonus Hungariæ Rex, dum ad Varnam urbem strenuè adversus Amurathem decertat, in pugna cæditur, visus quoque tum fugere, tum Huniades terror olim Turcarum, atque ipse Julianus Cardinalis ruptæ pacis cum barbara gente Author omnium primus, hostis, aut prædonis potius ferro cecidit. Demortuo sic Uladislao Hungari demum Ladislaum Regem suum palàm agnovêre, cúmque à Friderico, cujus sub tutela, ac cura educebatur, ut jam electus coronaretur, repetierunt. Sed nil electione opus esse Fridericus Cæsar Legatis respondit, cùm jam dudum Ladislaus Regio diademate ritu patrio insignitus esset: Tutore indigere puerum, qui teneram ætatem ad gerenda aliquando Regni gubernacula informaret: expectandam esse ætatem Regno habilem; interim habenas Regni ab illis ipsis, qui hoc præstare possent, esse administrandas. Atque hinc ortæ inter Hungaros, ac Fridericum tricæ duodecim ferè annos Austriam perturbaverunt, eámque ferro, ac igne, atque omni prope calamitatis genere permiscuêre. Afflixit & hoc eodem anno gravius quoddam malum & Austriam, & Universitatem hanc nostram, scilicet pestilens morbus, cujus ob metum scholæ clausæ, consuetæque Magistrorum lectiones usque ad festum S. Colomani suspensæ sunt.

Annô 1447. nova Universitatem inter ac Cives discordia suborta est, ob læsa, violatáque Magistrorum, Scholariúmque privilegia; cùm enim urbis judex Clericum studentium è numero, nescio qua de causa in vincula, & carcerem conjecisset, nec à Rectore, Senatúque Academico, quantumvis pluribus vicibus admonitus, rogatúsque eundem restituere, juráque Academiæ nostræ tueri integra vellet, eum ceu Ecclesiasticæ immunitatis invasorem Excommunicationis sententiâ ac pœnis innodatum Universitas nostra censuit,

quia

quin & ejus congressum ita subterfugit, ut nec Theophoriæ in solenniis, dum urbis per compita Eucharisticum Numen annuo è more circumferretur, interesse Doctores nostri voluerint, nisi vel publica illa è supplicatione abesset judex, aut nisi à censura hac se absolutum testimoniis certis probaret, captúmque illico vinculis solutum pristina libertate donaret.

Mortuus est eodem anno Eugenius Summus Ecclesiæ Antistes 7. Calend. Martii, quem superiori anno Fridericus legitimum contra Basileense Concilium Pontificem agnovit, & veneratus est. Successit eidem pridie Non. Martii Thomas Sarzanensis tenui quidem genere ortus, sed Vir dotibus omnibus, ac præcipuè doctrinâ instructissimus; qui in memoriam Nicolai Albergati, cujus domesticus fuerat, dictus est *Nicolaus* quintus. Quid pro hujus quoque Pontificis autoritate, atque ad tollendam Germaniæ Ligam, Neutralitatémque Fridericus egerit, haud inutile duxi, si ex Actis Universitatis nostræ retulero, tum ut optimi Cæsaris ad reducendam Ecclesiæ pacem labor, studiúmque pateat, tum quid eo in negotio ab Universitate nostra actum sit, meliùs intelligatur, sic enim Acta eadem memorant.

* Circa hoc tempus (intellige festum S. Udalrici) proposuit Dominus Chiemsensis Episcopus plura cum aliis Regiæ Majestatis Consiliariis, & incepit à principio Electionis Regiæ Majestatis in Regem Romanorum; quod multas expensas fecisset, & Dietas instituisset ad habendam, & procurandam unionem in S. Ecclesia; nunc inducendo præsentes in Concilio, nunc illum, nunc alium pro Papatu contendentium, ut bonum medium haberi, & inveniri posset ad habendam unionem in Ecclesia. Sed quia etiam Dominus Rex cum Dominis Electoribus stetit ad tempus in quadam Neutralitate, in qua non poterant ampliùs subsistere propter periculum animarum, & quia Dominus Rex non possit procurare unionem in Ecclesia, cùm multos modos

dos attentâsset, ùt supra tactum est; ùt sibi, & suis apparuit, non declarando se pro una parte. Et sicut declaravit se primò pro parte Eugenii, ita eo defuncto declarare se voluit pro suo successore, seu Domino Nicolao quinto vocato; & ita desideravit Dominus Rex, ùt proposuit Dominus Chiemsensis coram Universitate. Postea verò Dominus de Neuberg subjunxit, quod ea quæ proposuisset Dominus Chiemsensis, essent de intentione Domini Regis, & seriosè quòd desideraret ea fieri; & quod Universitas huic declarationi esset præsens, & assisteret; & quod crederet declarationem Domini Regis esse justam, & eam approbaret. Tertiò quod nec loqueretur contra eam, nec occultè, nec manifestè. Quartô quod alios induceret ad credendum eam esse justam, & prohiberet loquentes contra ejus declarationem. His auditis post prandium deliberatum est in Universitate, primò quod hoc negotium esset valde arduum, quódque nunquam aliàs negotium tam prægnans, & magnum fuisset, & quod indigeret bona mastigatione, & deliberatione. Sed tamen quia Dominus Rex voluit se declarare immediatè secundâ Feriâ sequente, & propter brevitatem temporis deliberabatur in hunc modum, quod Regia Majestas deberet informari, & peti cum humilitate, & devotione, ac instantia, quibus deceret, ut Dominus Rex supportaret Universitatem, quod hæc haberet omnium Facultatum multa supposita; & cùm aliqua essent de hac Diæcesi; alii de alia; & quia Prælati aliqui eorum tenerent cum Concilio, aliqui cum Domino Felice, aliqui cum Nicolao quinto nominato, apparuit esse præjudiciale valde suppositis Universitatis declarare se pro Nicolao, & quia supposita facta declaratione possent se mutuò turbare, & vexare, unum instando pro beneficio alterius; & quod posset fieri magna dissensio in Universitate, & trahere se mutuò ad diversos judices, & contrarios, & quod posset sequi dissolutio Universitatis.

Item

Item Dominus Rex voluit se declarare pro electo Nicolao nuncupato. & nil dicebatur de Concilio Basileensi, quare non esset standum cum illo, nec tangebantur motiva aliqua rationabilia, quæ Universitas consideràsset esse rationabilia. Item dicebat Dominus Chiemsensis declinando videlicet à decreto in Concilio Constantiensi edito, quod dudum postpositum fuisset, nec in hac causa haberet locum. Et tunc in Universitate legebatur una Bulla, in qua Eugenius fatebatur, & recognoscebat Concilium Constantiense cum Decretis suis. Item Facultas Artium non intellexit ad quantum omnes aliæ Universitates Alemaniæ essent liberæ in ista materia, & in quantum starent cum Concilio Basileensi, propterea nec se ipsa posset declarare, nec vellet pro illo dicto Nicolao quinto, & præsertim cùm Universitas Wiennensis esset Principalis inter omnes Universitates in Alemania, & prima post Parisiensem reputata, quæ est Mater studiorum, etiam quia Universitas Wiennensis valde refulget in maxima fama, quæ est per orbem terrarum promulgata, apparuit, si se declararet, quod difficulter redire possit ad suum statum pristinum, & honorem, & gloriam suam recuperare. Quare concorditer conclusum est, quod Dominus Rex esset informandus, & dati sunt Deputati, qui deliberarent circa hanc materiam ad informandum Regem, & petendum, ut dimitteret Universitatem in pace in ista materia. Item ut conciperet motiva pro informatione Regis. Duæ tamen Facultates, Juris nempe Canonici, & Medicinæ consenserunt, ut daretur assensus declarationi Domini Regis, Facultas Theologica conditionatè dixit: si post requisitionem Dominus Rex non acquiescèret, acceptandam esse declarationem illius. Facultatis verò Artium Decanus nomine suorum requisivit Dominum Rectorem, nè quidquam concluderet, quia Facultas Artium hoc censuit esse in grave Universitatis, & sui præjudicium.

Feriâ

Feriâ autem secundâ post festum intitulationis gloriosæ Virginis Mariæ fuit congregata Universitas ad audiendam seriosam intentionem, atque mandatum Regiæ Majestatis in materia declarationis in facto Ecclesiæ, & ad deliberandum, quid expediat Universitati, & proposuit Dominus Rector circa istum articulum succinctè intentionem Domini Regis, scilicet quod Regia Majestas seriosissimè desideraret, mandaret, ac vellet etiam sic habere sub pœnis revocationis beneciorum, ac stipendiorum, & aliarum pœnarum, quod Universitas deberet ire in processione, & esse præsens, & assistere solenniter suæ declarationi à primo usque ad finem; quam eadem die, scilicet feriâ secundâ vellet facere pro Domino Nicolao quinto nuncupato. Reclamaverunt quidem multi, & maximè Facultas Artium, ob serium tamen mandatum Principis, & interminationem illius intimatio Processionis facta est sub pœna pecuniaria. Præterea nomine Facultatis Artium protestatus est Decanus illius publicè coram Universitate, & Notario publico, quod per Processionem & assistentiam, quam faceret ad mandatum Principis scilicet Domini Regis in die declarationis pro Domino Nicolao quinto, non intenderet, nec vellet aliquid approbare directè, vel indirectè, quod esset, vel esse posset in præjudicium S. Matris Ecclesiæ, seu contra ejus determinationem, vel decreta, vel quidquid esset in præjudicium Sedis Apostolicæ, vel alicujus contendentium pro Papatu; nec se declarare cum Domino Rege pro Domino Nicolao quinto, nec etiam approbare, quod haberet speciem mali, aut vergere possit aliquomodo in notam Facultatis; sed stare se legitimæ declarationi.

Dominica prima post Festum S. Colomani rursus congregata est Universitas, Rectorísque officium assumpsit M. Jodocus de Hailpruna, Theologiæ Professor, & propositum est, quatenus desideraret Dominus Rex, ut Universitas iret processionaliter obviam

Domino Legato à latere cum solennitatibus fieri solidis circa alios Legatos & Cardinales; & placuit tribus superioribus Facultatibus, quòd Dominus Rector intimaret ad faciendam Processionem pro susceptione Domini Legati cum expressione tituli Legati à Latere Sedis Apostolicæ. Facultati Artium placuit, quòd intuitu, & contemplatione commodi in magna spe de propinquo procurandi inter Regna, & Regna, ac Ducatûs Territoria, signanter inter Regnum Hungariæ & Ducatûs Domûs Austriacæ; præcipuè etiam visô desideriô Regiæ Majestatis petentis processionem celebrandam; quòd intimaretur per Dominum Rectorem publicè in valvis omnium Facultatum suppositis, generali tamen modo, & sine istius tituli expressione: *Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato à Latere.* Sed tanquam Legato Zelo Pacis & concordiæ transmisso; item ut processio fieret sine habitibus Magistralibus, effectualiter etiam tandem processio est celebrata sine habitibus Magistrorum.

Demum Dominica proxima ante festum omnium Sanctorum congregata fuit Universitas ad deliberandum, an Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Joannes Sedis Apostolicæ Legatus à Latere sit per Universitatem specialiter accedendus, & suscipiendus? Tribus superioribus Facultatibus placuit, quòd sic, & quòd susciperetur cum arenga, prout est moris apud alios Cardinales & Legatos fieri. Sed Decanus Artium jussu, & nomine Facultatis suæ protestabatur publicè coram Rectore, & Doctoribus juxta formam jam nuper factam, quòd nempe per hunc accessum nihil vellet agere in præjudicium sacrorum conciliorum. Post quam protestationem ex pluralitate votorum conclusum est, & in effectum deductum cum arenga facta per Magistrum Thomam Haslbach, S. Theologiæ Doctorem, & Professorem. *

Quæ fusiùs ex Actis ipsis adducere placuit, ut intelligatur, quantum eo adhuc tempore Universitas

nostra,

nostra, ac præ primis Facultas Artium præ Eugenio ejúsque successore Nicolao Basileensi Concilio tribueret. A Constantiensi enim Synodo illud imperatum sciebat, cujus ea fuerat autoritas, ut & Joannem XXIII. Papatu dejiceret, & Martinum ei quintum subrogaret. Atque hinc non minori dignitate præditum Basileense Concilium rata, formidabat, nè quid temerè à se admitteretur, si præ Felice à Basileensibus Patribus ad Papatum evecto, Eugenio per eosdem deposito, vel Nicolao ejusdem successori adhæresceret. Accedebat & metus, nè hac ratione apud reliquas Germaniæ Universitates, quarum ob præclarè gesta, temporísque diuturnitatem, qua eminebat, prima merito ac præcipua habebatur, aliquid famæ, gloríæque amitteret, si Concilio à Germanis pro legitimo semper habito adversaretur. Nec mirum & in hoc non nihil eam deceptam fuisse, cùm & maximis quibusque viris, uti & ipsi Æneæ Sylvio postea Pio II. error hic sub veritatis specie haud parum imposuerit.

Habitum & hoc anno non nulli volunt Concilium seu veriùs Colloquium Lugdunense in causa schismatis, ad quod multi undique confluxerant. Statutum hìc fuerat conveniendum Felicem V. Genevam, ubi tum compositi aliquot articuli, quibus si Nicolaus subscriberet, idem Felix Pontificatum deponeret, sícque magna patuit ad optatam concordiam janua.

Anno 1449. Felix V. adnitente potissimum Carolo VII. Galliarum Rege Pontificatum abdicavit, magnis tamen, amplissimísque honoribus sibi reservatis, nempe ut perpetuus esset in Sabaudia Legatus, nec unquam cogi posset, Romam ut veniret; ei ut Pontifex venienti assurgeret, ille tantum osculum oris redderet, reservaret ornamenta Papalia præter delationem Corporis Christi, annulum piscatoris, crucem in pedibus, & umbellam. Recepti præterea à Nicolao V. sunt Cardinales Felicis, ac veris, legitimisque annumerati, omnia denique literis publicis, diplomatísque firmata.

Eodem anno supplices literas à M. Joanne Kynigshoven Universitas nostra accepit, quibus ille olim è Doctorum nostrorum consortio ejectus, cùm gravem litem Basileensi in Concilio adversus Universitatem nostram prosequeretur, causâ tandem cadens veniam delicti, & sui rursus susceptionem instantissimè petiit, qui etsi damnum 200. aureorum ærario Universitatis intulisset, admissus tamen benevolè est, ea quidem lege, ùt Procuratorem, vadémque substitueret, qui jurejurando ejus loco adpromitteret, observaturum eum omnia, quæ ad hanc susceptionem Universitas desideraret, caverétque de 20. saltem florenis aureis Universitati solvendis, si melior eidem fortuna obtigerit.

Annus 1451. Si quis unquam alius, turbarum ferax, & Universitati nostræ permolestus exstitit. Nescio enim quibus Civium querelis concitatior Fridericus Cæsar duos Universitatis Magistros cum uno scholarium compingi in carceres jusserat, eósque Civium sub custodia detineri. Pupugit ea Principis sententia ultra quàm dici potest vehementius Magistrorum, Rectorísque animos, violari jura sua, evertíque Privilegia à Fundatoribus concessa, summis à Pontificibus confirmata clamitabant, querebantúrque passim, suspendebant Lectiones, adibant supplices Cæsarem, querelarum plenum libellum offerebant. Mitigatus aliquantulum Princeps, bono eos esse animo jubet, deliberaturum se cum Proceribus, daturúmque operam nihil ut Universitatis honor, dignitásque, vel periculi, vel detrimenti subiret, assumerent modo literarios ut antea labores, paucósque post dies ad se reverterentur. Et pacis, concordíæque spes jam è propinquo affulgere visa est, quam tamen Civium nonnullorum, rudísque plebeculæ furor nova tempestate interturbavit. Non obire tuto urbis vicos Universitatis alumni, non templa adire, non publicos accedere ludos, imo nè vix pedem efferre ædibus, quin vel conviitiis, vel etiam verberibus impeterentur, quin &

in

in ipſum Univerſitatis Magiſtratum, Principésque illius viros deſævitum eſt. Acceſſit fors die aliqua Rectoris juſſu Decanus Artium cum quatuor Nationum Procuratoribus Dominum Auſtriæ Mareſchallum turbarum, quæ inter cives, & ſcholares tunc in dies accreſcebant, causâ, jámque ejusdem palatio appropinquabat; cùm ſubito à tergo armatus in eos populus irruit, proturbant in terram ſcholarem, quem ad conducendum ſe Doctores, Decanúsque aſſumpſerat vulneribus in eum crudeliſſimè deſævientes. Conjecêre ſe in fugam ad tot armatorum hominum inſultum Procuratores, inſequentibúsque per compita ſerocientibus his furiis vix mortis pericula effugêre. Decanus jam deſertus ab omnibus, manúque ſiccariorum obſeſſus, cùm nec fugæ inire conſilium, nec opem, auxiliúmque ſperare liceret, mollibus verbis, atque ad placandos iratorum animos aptis delinire primùm barbaros homines, adhortari, ut pacem colerent, precibus denique agere, nè in inſontem deſævirent: at ſine fructu. Moneri ſe impatiens populus, atque ipſo rogantis metu audacior factus in eum quoque armis involat, humíque proſtratum calcibus, pugnis, quin & cultelis ad pugnam deſtinatis impetit, certus jam eum iniquiſſimo ſuo furori immolari, niſi conſpectâ fors, quam gerebat ſacerdotali coronâ honeſtiores duo è Civibus occurriſſent, eúmque inſanientium è manibus eripuiſſent, delatúsque mox ab iis in vicinam domum Decanus fuerat jam propè exanimis, longóque tempore, ac multa Medicorum peritiâ uſus, ſuis ut è vulneribus convaleſceret. Vix tantæ crudelitatis fama ad Doctores noſtros delata eſt, cùm illico ſenatus cogitur, jubetúrque cum M. Thoma de Haslbach, aliísque Academiæ noſtræ Viris Principem adire Rector, ſuſpenſis interim lectionibus omnibus, ſcholíſque clauſis, dum è ſententia Cæſaris ob violata jura Cives mulctarentur, concordiáque & pax domeſtica rediret. Habuit tum orationem graviſſimam ad congregatos

in aula Proceres (nam ad Fridericum Cæsarem aliis curis, negotiisque distentum, accessus non patuit) Thomas de Haslbach, qua palàm recensuit, quas injurias, quæ pericula, quantúmque odii à Civibus, rudísque hactenus à plebe Universitas pertulisset, verùm præsentem hanc calamitatem superare longè priora incommoda, violari per Cives impunè humana, sacráque jura omnia, vexari viros quósque doctissimos non prohibente modo eorum audaciam nemine, sed & Magistratu ipso vel concitante, vel ad eam connivente. Pacem quietómque sibi restitui à Proceribus, ac Cæsare efflagitare Academiam; hanc, si firmam dein, illæsámque tueri nollent, discessuros Viennâ Magistros, ac Scholares omnes, unáque hora facturos, Universitas tota ut dissolvatur, cujus Doctores magnis aliunde stipendiis ad alia Germaniæ loca passim invitarentur. Permovit sermonis vis, tum & ipsa illatæ injuriæ atrocitas Nobiles hos viros adeò, ut nihil se prætermissuros sponderent, quòd ad sedandum Civium furorem, tum verò ad quietem Universitati reddendam spectaret; deligerent interim quatuor viros, qui cum tribus aliis, quos ad id Imperator designaverit, proxima quadam die in domo Præpositi conveniant, pacis ineundæ, firmandæque rationem inituri.

Verùm ut plerumque morâ ipsâ mala publica augescunt, útque, ni primis in favillis ignem supprimas, perniciosiora plerumque in incendia erumpit, ita, dum lentè consilia agunt Proceres, audacia plebis vires majores nacta tantò periculosiùs succendebatur.

Hæc enim, dum in urbe agerentur, scholarium aliquis fors animi causâ ad Danubii ripas obambulaverat; inciderátque in civem multa injuriosè, multa turpiter in Universitatis Doctores, Magistratúmque dicentem; perstrinxit hic primùm leniter verbis hominis convitiandi, obloquendísque licentiam, ad quæ, cùm

gravi-

gravius baccharetur ille, augerétque contumelias, levi etiam inflicto vulnere Universitatis injuriam studiosus ultus est. Vix rei indicium intra mœnia, urbísque portas penetraverat, cùm cives omnes seu datô signô ad arma convolant, stratis, conscensísque equis urbis percurrunt compita armati ferrô, furore succensi, Universitatis Alumnos ad vulnera, ad cædem, ad extrema denique supplicia deposcunt. Clausæ sub tumultûs initia Rectoris jussu studentium Bursæ, domúsque jam fuerant, pedémque efferre ædibus gravi sub mulcta interdictum, quare impunè plurimas eorum ædes prætervectum est furiosorum hominum agmen, tandémque in platea, cui vulgò à corrigiatoribus nomen est, patrio sermone die Riemerstrass dicitur, haud procul à studentium bursa consistit. Metuentes vim sibi inferri scholares arma quoque apparant, emissóque uno alteróve jaculô cives feriunt. Sed hi animosiores ad suorum vulnera postes perfringunt, pleno impetu in ædes irruunt, septem denique Scholares frustra fugam meditantes in forum protrahunt; sententia fertur à judice capitis reos esse omnes, advocandum illico lictorem, qui publicæ pacis perturbatoribus (sic Alumnos literarum vocitabant) caput à cervicibus eo, quo capti essent in loco, resecaret. Et perpetratum haud dubiè id nefas fuisset, nisi accurrens fortassis Dominus Neutperg, alisque de consilio, ac Senatu civico, Judicis, plebisque furentis iras tum precibus, tum minis tantisper mitigâsset. Raptantur igitur pecudum in morem per urbis vicos studiosi, inque deterrimum, nec nisi sceleratissimis quibusque designatum carcerem detruduntur, ubi noctem metus inter, ac squallores exigerent. Verùm ubi jam per noctem ira Judicis defervesceret, accederéntque Decani Artium preces, facti is jam sui pœnitens summo mane carceres ipse adiit, comiter Scholares domum deducit suam, ibíque cibo liberaliter refectos honesta sub custodia detinet.

 Con-

Convenêre interim Aulæ Proceres, Rector, & Universitatis Doctores, acerbiùs quàm antea de injuriis sibi illatis questi; petierúntque mulctari seditionis, turbarúmque autores, publicô edictô vetari, nè è plebe homines longiores cultellos palàm deferrent, quibus tot impunè latrocinia patrâssent hactenus. Prohiberi quoque volebant à Cæsare, nè Universitatis Alumni à literariæ Reipublicæ Magistratu ob delicta puniti provocare ad sedem Apostolicam deinceps auderent, denique ut quotquot in carceribus, aut custodia civium detinerentur studiosi, Rectoris ad arbitrium illico traderentur. Sed præter hoc ultimum impetratum est nihil, Friderico nimirum Cæsare parùm civium in se studiis fidente, graviorésque formidante motus, si quid in eos severius decerneret. Id demum utrique impetratum est partium, quieti ut essent, mutuísque inter se ut abstinerent à jurgiis, donec Principis è sententia pronunciatum aliter fuerit.

Hoc eodem anno Fridericus Cæsar in Italiam unà cum Ladislao Hungariæ, & Bohemiæ Rege adhuc impubere contendit, tum ut appropinquantem Italiæ ad oras Eleonoram Lusitaniæ Infantem, Sponsámque exciperet, tum ut Imperatoriâ coronâ Romano à Pontifice insigniretur, relictis interim ad administranda Provinciarum negotia Domino de Schaumburg, Comite Georgio de Puecheim, Rudigero de Stahrenberg, & Domino de Eberstorff Hubarum Magistro. Ægrè id iter susceptum à Cæsare Austriæ Barones tulêre, at multò molestiùs, ea quod ætate Ladislaum Regem ad Provincias tam longè remotas abduceret mille inter viarum, aërísque ferventioris incommoda, quare cùm Fridericus tempore âliquo Græcii ad iter sese accingeret, Austriæ Magnates conventu habito, advocatis etiam Provinciarum Administratoribus in eam convenêre sententiam: Repetendum nempe esse Ladislaum Principem suum, aut se Friderico non obtemperaturos imposterum. Non ignoravit hæc Procerum suorum

rum consilia, ac machinationes Cæsar; quare antequam in Italiam discederet, moneri per suos Consiliarios Universitatem jusserat, nè Baronum conatibus opitularetur, quemadmodum Acta nostra his verbis referunt.

Feriâ sextâ post festum Nicolai congregata est Universitas ad audiendum desiderium Principis, quo petivit per Consiliarios suos prius ad Rectorem missos, quòd nec Universitas, nec aliquod ejus suppositum suis adversariis, scilicet aliquibus Nobilibus, & incolis terræ Austriæ suum naturalem Dominum Inclytum Ladislaum Regem postulantibus aliquod consilium, aut favorem præstarent, & quòd hoc gratiosè Sua Majestas recognoscere vellet. Quibus propositis Magistri sine deliberatione abierunt.

Comitari præterea se etiam in Italiam Imperator jusserat M. Thomam de Haslbach, quare eidem sequentia Romana in Curia expedienda negotia commisit Universitas: *Primò, nè supposita* (ita Acta loquuntur) *in rebus saltem mores, & disciplinam concernentibus provocare possent ad Sedem Apostolicam. Secundò ut daretur aliquis inter muros Prælatus, ad quem, si gravari se sentiant, possint appellare, nè tanta turbatio fieret in Universitate, ùt antea sæpius facta est.*

Demum hoc eodem anno Archi-gymnasii Alumnis adscriptus est Franciscus Picolomineus de Senis, qui tantos in disciplinis omnibus progressus fecit, ut sub annum 1503. dignus sit habitus, qui Purpuratorum Ecclesiæ Principum suffragiis ad summum Ecclesiæ fastigium eveheretur, dictus postea Pius III. Pontifex maximus.

Anno 1452. rediit cum Ladislao Rege atque Eleonora conjuge Fridericus Imperator, postquam ferreâ simul & aureâ coronâ cum Imperatrice Romæ à Nicolao V. coronatus esset Idibus Martii, magnificéque ac Regio apparatu ubique locorum ab Italiæ Principibus & exceptus, & habitus. At tantò gravior cum

 domi

domi procella excepit. Vix enim Neapolim Austriæ Cæsar pervenerat, cùm solicitarent eum, urgeréntque Proceres Ladislaum jam pubertatis annos egressum sibi ut redderet, Tutoris munus, noménque poneret, jura in eum Regnorum, Provinciarúmque transferret. Perstitit nihilominus sua in sententia Imperator, non priùs sua è tutela dimissurum Ladislaum dictitans, quàm Virum eum cerneret sustinendæ tot Regnorum moli parem. Quibus offensi non leviter Nobiles raptim militem conducunt, vicinas arces, ac oppida diruunt, tandem suppetias ferentibus Moravis, Hungarisque confluentibus, viginti quatuor millium exercitu Neostadium ipsum, Cæsarémque obsident. Feruntur hoc in exercitu ex urbe Viennensi quatuor millia fuisse, ingentémque hinc obsidionis apparatum transmissum Proceribus esse, præter milites, qui ad defendenda urbis nostræ mænia remanserant, si fors Friderici partibus magis faventes repentino eam insultu tentarent.

Nè verò turbulentis his temporibus Cives inter, ac milites rixarum aliquid oriretur in urbe hac nostra sapienter à Proceribus provisum est hoc modo, ut Acta nostra referunt:

29. Junii congregata est Universitas ad audiendam propositionem Illustrissimi Principis, Domini Udalrici Comitis Ciliæ, & Præsidis Ducatûs Austriæ, & aliorum eundem Ducatum Gubernantium pro præsenti, & ad deliberandum super eadem: & fuit forma propositionis, quòd studentes teneantur ad hoc per suos superiores, ut haberent pacem, & tranquillitatem cum castrensibus stipendiariis, Civibus, & aliis Principalibus, tali tempore, quo Domini terræ laborarent pro suo naturali Domino Ladislao Rege Hungariæ, Bohemiæ, Principe Austriæ, & Marchione Moraviæ. Et pro tunc Cives obtulerunt se ad fideliter assistendum Universitati, & conclusum est, ut Rector cum suis Consiliariis prospiceret de continendis in pace suppositis,

etiam

etiam sub interminatione majorum pœnarum, gratésque sunt habita Civibus pro bona hac oblatione.

Obsessus hac ratione Fridericus Cæsar, cùm nec ad manum haberet milites, nec sperare aliunde auxilia posset, suadentibus tandem Præsulibus Salisburgensi, Frisingensi, ac Ratisbonensi, tum verò intercedentibus Principum Bavariæ, Brandenburgensis, & Nierenbergensis Burggravii Oratoribus, flecti in Procerum voluntatem se tandem passus est, ac Ladislaum Regem Domino Udalrico Ciliæ comiti tradidit, qui illico Exercitu Neostadii à mænibus reducto Ladislaum Principem feria 4ta post Festum Natæ Virginis Viennam innumeras inter populi acclamationes deduxit, quo etiam ad Festum S. Martini ad reliqua Regnorum negotia pertractanda, & Imperatoris Friderici, & Bohemorum, Hungarorúmque, ac Moraviæ Oratores accessêre, tum ut Regem suum salutarent, tum ut inter Fridericum & Ladislaum, ceterásque Provincias pax certa, concordiáque firmaretur, quamvis cassus, inutilisque hoc anno conficiendæ ejus rei conatus fuerit.

Anno 1453. Serenissimus Rex Ladislaus ingenti tum Principum, tum Nobilium virorum cum comitatu Pragam abiit, ut Regni ibidem coronam, ceteráque insignia susciperet, & verò digno tali Principe apparatu à Bohemis exceptus est, ingentique tum sui, tum populi gaudio, cujus ut etiam Universitatem hanc nostram pro suo in eam amore participem redderet, literas ad eam dedit, quarum ex Actis nostris Synopsim subnecto.

In die S. Luciæ congregata est Universitas ad audiendam quandam propositionem nomine Serenissimi Principis, & Domini Ladislai, Ungariæ, & Bohemiæ Regis, &c. Et venit Nobilis vir, Dominus Sigismundus Eizinger, qui Universitati præsentat unam literam à Regia serenitate transmissam, & circa illam juxta commissionem ei à Regia celsitudine factam plura proposuit, de prospero successu Regis in Praga, & de honorifica

ejus tentione, & securi, ut Regium decet puerum; quod Magistri omnium Facultatum audiverunt cum magna, ut decet gratulatione, & indicta est statio super isto bono Nuncio in Festo S. Thomæ Apostoli apud Prædicatores, ad honorem Omnipotentis DEI, ad sibi regratiandum super omnibus bonis, quæ sua misericordissima pietas fecit circa Serenissimum Dominum nostrum, ad incrementum, ut haud dubiè speratur, sanctæ suæ Ecclesiæ, & ad Bohemorum, ut speratur, quam habent de Communione sub utraque specie opinionis resilitionem. Et ita factum est cum magna solennitate, & cantabatur officium Missa de S. Spiritu.

Obiit hoc eodem anno insignis vir Joannes de Linz, Artium M. egregius, & Juris Canonici Licentiatus, qui Facultati Artium copiosissimos libros suos in membrana conscriptos testamento legavit.

Anno 1455. Ladislaus cùm in alterum jam annum partim Pragæ, partim Wradislaviensibus in comitiis versatus esset, Viennam rursus rediit, obviam ei procedente Universitate nostra, à qua & latio Sermone salutatus est. Nec diu post adfuit quoque Viennæ Eminentissimus tit. S. Angeli Diaconus Cardinalis, à Callisto III. Summo Pontifice, qui demortuo hoc anno Nicolao quinto Successor datus est, ad prædicandam adversus Turcas Crucem, sacrámque promovendam belli expeditionem missus. Quem & Universitas nostra adiit, gravíque oratione se, suósque Doctores ac Alumnos commendavit.

Vix urbem hanc ingressus erat Ladislaus, cùm Procerum Austriæ conventui in Festo S. Ægidii inchoato Interesse & ipse voluit, ad quem plures etiam aliorum Principum Oratores accesſère, ut pacem, verámque concordiam inter eum; ac Fridericum Cæsarem firmarent. Et inclinari jam ad pacatiora utriusque animi videbantur, quos recens tamen suborta lis, pejus quàm antea fuerat, sejunxit. Decretum nempe jam superiori anno, scilicet 1454. Francofordiensibus

diensibus in Comitiis in barbaram gentem bellum cùm fuerit, adnitentibus potissimum ad hoc Joanne Capistrano, & Ænea Sylvio à Nicolao V. submissis, à Friderico hoc anno pendenda omnibus Provinciis Imperio obstrictis certa pecuniæ summa imperata est; sed Austriæ bellis hactenus, rapinisque exhaustæ major, quàm cui solvendæ par erat. Deprecabantur immensa hæc onera proceres, Ladislaus etiam, ut mitius cum Austriaco ageret populo, intercedebat; verùm cùm dimoveri à sententia Cæsar non posset, alienatis rursus animis, novisque indies discordiis accrescentibus spes omnis ineundæ concordiæ intercisa est.

Hæc, dum inter Principes agerentur, non levis quoque procella Universitatis nostræ Doctores, Magistratúmque involvit, eò periculosior quidem, quo domestica magis, inter ipsa ejusdem quasi viscera desæviit. Convenerat fortassis priori jam anno cum Civium senatuu in certos Articulos Universitas, quibus tranquillitas publica, páxque communis, ac stabilis plebem inter, ac studiosos coleretur. Verùm ut mutabile semper vulgus est, susque deque habita hoc rursus anno sunt omnia, detinebatur Civium in custodia leves ob causas Medicinæ Doctor quispiam, vir in arte peritus, nec malè de Academia meritus, includebantur in carceres publicos Alumni Universitatis, nec Rectoris jussu, nec precibus tradebantur. Delata quidem à Senatu Academico ea querela ad proceres est, ipséque Ladislaus, ut jura tueretur Universitatis, à Rectore rogatus; ast moræ impatientes studiosi apertam in seditionem erupêre. Rem, ùt in Actis universitatis reperi, iisdem verbis reddo.

* Ultima Septembris congregata est Universitas, in qua retulit Dominus Rector (fuit is M. Michaël Zechentner de Vienna in Jure Licentiatus) quòd die præcedenti in festo S. Michaëlis post prandium fuerunt congregata supposita Universitatis in magna multitudine

tudine in Aula Universitatis, contra, & præter consensum Rectoris, & suorum officialium, habentia Capitaneos, & Inductores suos; & cognita eorum congregatione Mag. Thomas de Haslbach S. Theologiæ Professor, & Facultatis Artium Decanus cum paucis Magistris intraverunt ad eos, & causam insolitæ hujus congregationis intellexerunt; scilicet quòd eorum Superiores essent negligentes, & non manutenerent privilegia Universitatis, neque assisterent studentibus in captivitate existentibus secundùm tenorem privilegiorum. Ad quæ Thomas de Haslbach reposuit, quòd circa hæc jam laborârit apud Regem Universitas, & quòd proximè ante illius discessum expectet gratiosam expeditionem, & quòd omnes Doctores essent parati omnia sua bona, vitam & sanguinem dare pro conservatione privilegiorum. Pariter locutus est Dominus Rector, qui supervenit. Post quæ audacior unus nativâ linguâ proposuit multa, nempe quomodo famuli pistorum, & aliorum mechanicorum deferrent publicè in civitate ballistas extensas, scuta, gladios, cultellos, & secures, & invaderent studentes, eos fugantes, trudentes, & vulnerantes, & quòd ad hoc essent licentiati à Magistro civium, & Judice civitatis, quódque studentes captivarentur, & inhonestè deducerentur, atque in domo latronum servarentur, & tanquam malefactores tractarentur. Specialiter verò mentionem fecit de tribus detentis in domo quadam, & de uno vulnerato per mechanicos jacente in hospitali: Et dixit, quomodo receptus esset de hospitali armatâ manu, & deportatus ad domum præconum circa cœli portam; addens quòd ipsis essent prohibita arma, & non possent securè ambulare, & plura alia nomine studentium, ùt asserebat, proposuit. Et cùm ad hæc responsum fuisset, hæc omnia jam delata fuisse ad Regem, reposuit, quòd ille, & complures alii plura haberent, quæ vellent articulosè præsentare Domino Rectori præfato, vel Magistro Decano Artium. Eodem

die

die vesperi horâ quintâ congregato Rectore cum Doctoribus, ut viam, & modum invenirent componendi pacem, relatum est iterum in Aulam Universitatis convenisse studentes; quare Rector illuc cum Doctoribus properavit, & stans superiùs in ambitu Aulæ Ducalis proposuit Dominus Doctor de Tyttmaning laborem, & diligentiam Rectoris in tractandis his caussis omnibus. Post quæ ille prolocutor inter alia plura petivit, ut legantur illis privilegia, & literæ originales, quas dicebant esse amissas, quæ nisi illis originaliter fuerint exhibitæ, vellent per se quærere. Item imposuit minas Rectori, & Doctoribus; dicens nolle studentes stare compactatis cum civibus, & in illis construendis accusarunt iniquè egisse M. Joannem Hauser tanquam inventorem, & auctorem compactationis, & invalescentibus clamoribus magnus metus invasit Rectorem, & Doctores, quare dictum est eis, quòd sequenti die, horâ primâ legenda illis forent privilegia Universitatis. Dicebatur enim, quòd ultra centum ibidem essent cum armis, qui vellent invadere Doctores, & Magistros, & Rectorem, & nisi Magistri missi pro liberatione trium studentium detentorum venissent, & studentes liberâssent, atque in domo Domini Rectoris constitutos esse significâssent, vix eorum congregatio sine notabili damno fuisset dissoluta. Jam enim erat nox, & Magistri successivè dilabebantur ob metum insultûs. Tandem dissoluta est eorum congregatio, quare manè Dominus Rector congregavit Universitatem, in qua conclusum est, ut mitterentur Deputati ad suppositorum studentium congregationem, qui ostenderent labores hactenus pro privilegiis conservandis à Doctoribus exhibitos, & illos placarent. Et tandem post multam informationem elegerunt illi studentes in suum Procuratorem honorandum Dominum M. Leonardum de Perckingen; qui cum licentia Domini Rectoris proposuit, & petiit nomine congregatorum quatuor puncta. Primò quod

ad

ad Dominicam proximam fiat congregatio omnium ſuppoſitorum Univerſitatis, & ibi legantur omnia privilegia, & ſtatuta Univerſitatis. atque literæ originales privilegiorum, & confirmationum Papalium. Secundò quòd compactata cum civibus revocentur. Tertiò quòd nominati per quendam non intitulatum, & ad cordas tractum per Judicem civitatis, per Dominum Rectorem Univerſitatis, & ſuum ſubjudicem ſecularem, non per Judicem civitatis detineantur, & puniantur. Quartò quòd Facultas Artium eos, qui ſtudentium congregationibus interſuerunt, non puniat per retardationem à gradibus; ſed magìs ob eam cauſam illis indulgeat, & concluſum fuit, ut legantur privilegia, & literæ confirmationum, ſed non in originali, quare deſcripta ea ſunt, & per Notarium publicum collationata, ſicut etiam lecta ſunt præſentibus his, ſcilicet Reverendiſſimo in Chriſto Patre, ac Domino Epiſcopo Pataviensi, & Nobili Domino Rudigero de Stahrenberg, & Georgio Magiſtro Hubarum. Secundò placuit, ut compactata cum civibus non diſſolvantur ob graves nunc urgentes rationes. Præterea placuit, ut nominatis per quæſtionatum fiat ſecundùm tenorem privilegiorum. Et quartò ut non puniantur per retardationem à gradu, qui congregationi ſtudentium interſuêre. Lecta autem ſunt hæc privilegia die ſabbathi. *

Adiit anno 1456. Univerſitas Ladislaum Regem, multísque eum obteſtata eſt, ut abſens dum eſſet, è Proceribus unum deligeret, cui Univerſitatis jura, privilegia, tranquillitatémque commendaret, quod & ſe facturum adpromiſit, paucis námque diebus Poſonium, atque inde mox Budam conceſſit, ut bello in Turcas ſuſcipiendo vicinior eſſet, quod quidem bellum ductu Joannis Huniadis, & adhortante in pugnam milites Joanne Capiſtrano proſperè adeò, felicitérque geſtum eſt, ut ingenti clade attritus, vulnere etiam in pectus recepto Mahometes Belgradô recedere coactus

actus sit, ingenti suorum multitudine, castris, annoná, omníque belli apparatu desideratis. Non supererat diu insigni huic victoriæ Joannes Huniades, in febres námque malignas primùm, atque ex his in mortem incidit, quem brevi intervallo quoque secutus est Capistranus pari labore fractus.

Non deerant & Universitatis hujus alumnis ad sacram expeditionem animi, quorum multi Religionis ob studium cruce insigniti arma adversùs juratum fidei hostem sumpsêre. Verùm quia, & ex his non paucis angustior res domi fuerat, curtáque adeò supellex, ut ægrè vix vitam diuturniore hac in expeditione sustentare posse viderentur, liberaliter & illis quoque tum Facultatum, tum Universitatis ex ærario provisum est.

Hæc dum belli præclarè in Religionis Ecclesiæque hostes Ladislaus ageret, domi quoque nihil, quod ad concordiam tranquillitatémque servandam Reipublicæ pertineret, neglectum est. Advenêre nempe hoc anno in Austriam Albertus ejus nominis VI. & Sigismundus Archi-Duces, tum ut ipsi res cum Friderico Gæsare controversas componerent, tum ut Procerum nonnullorum in Imperatorem fors pacis amantiorem, protervè assurgentes animos mitigarent. Verùm ùtùt fortassis id minus successit negotium, certè ad pacandum Universitatis statum advenisse Sigismundus Archi-Dux videri poterat, ùt Acta sequentibus verbis referunt.

Quarta Junii in Congregatione Universitatis retulit Rector studentes aliquos in Claustro-Neuburgensi cum Ligonistis ad rixas devenisse, in quibus unus ex nostris interfectus est. Eodem die discedentibus nostris Claustro-Neuburgensi, & venientibus in Nussdorff conflictus ortus cum Ligonistis; ubi rursus noster unus Baccalaureus occisus est, plurésque vulnerati, & aliqui sunt per Judicem ejusdem oppidi capti, & ad manus Capitanei Austriæ Domini Wolffgangi de Walsee

 recepti,

recepti, & detenti, quos etiam post debitam instantiam juxta privilegia nostra dimittere noluit, sed ipse eos insigni pœna adjudicare. Quare jam deliberatum erat, ut Lectiones universim suspenderentur. Et eodem die venit de Baden Dominus Sigismundus Dux Austriæ, quem Dominus Rector cum suis accessit, & casum occurrentem eidem fecit declarari, qui gratiosè nos audiens dixit se velle Capitaneum seriosè persuadere, ut Universitas permitteretur frui suis privilegiis, & detenti statim restituti sunt.

In Festo S. S. Petri & Pauli rursus congregata est Universitas, ad audiendum, quid in causa occurrente in Curia Regiæ Majestatis actum sit, & ad deliberandum super his quæ per Dominos Præsides tunc fuerant desiderata, desideraverunt autem, quatenus Dominus Rector mandaret suis sub gravioribus pœnis generalem pacem cum singulis firmiter habendam, & singulariter cum Ligonistis, & quòd idem Regia Majestas facere vellet suis, attento, quòd utrimque damna essent illata. Secundò desiderabant Consiliarii Regii, quatenus studentes aliquo signo notarentur, ut statuto more studentium in Italia ab aliis differrent non studentibus. Tertiò de subjudice sibi melius provideret Universitas suis sub expensis. Et placuit Universitati; cùm Regia Majestas & Consiliarii ejus receperint in se, tueri privilegia Universitatis, quatenus læsores suppositorum ejus compellerentur ad satisfaciendum judicio, præmissa tamen protestatione de sanguine non fundendo: præterea quidem, qui in negotiis discordiæ principales videbantur per Dominum Rectorem incarcerati sunt.

Eodem hoc anno Bursa Liliorum sumptibus Burckhardi Krebs Decretorum Licentiati, & Canonici Passaviensis assumpta est. Aucta est & alio quoque tantóque majori, quo magis sibi proprio ornamento Universitas, nova nempe Bibliotheca, quam inchoatam nuper ob rei pecuniariæ defectum, educere tamen communis ærarii sumptibus Universitas ad tectum

ctum haud potuit. Perfecit tandem hoc anno opus illud Facultas Artium tum precibus M. Thomæ de Haslbach, & M. Joannis de Tyttmaning inducta, tum communis semper boni, gloriæque, quàm privati commodi studiosior impensis facilè centum denariorum libris, non levibus sanè eo tempore sumptibus, quo maximum rei pecuniariæ pretium penuria fecit.

Anno 1457. Gravis procella in Joannis Huniadis Herois illo ævo maximi, quem priori anno demortuum diximus, Filios desæviit, justa nempe ira Ladislai Regis quam ipsi nimia regnandi cupiditate sibi accersivêre. Ladislaus Huniades fratrum senior, Adolescens 24. vix ætatis annos emensus Regis jussu Budæ publici Tortoris manu capite plexus est, non ob interfectum à se duntaxat Udalricum Ciliæ Comitem Regi fidissimum, ut nonnulli scriptores volunt, sed ob structas Principi, Regique Ladislao insidias plurimas, quas Haslbachius Autor à me toties laudatus, quique eo tempore vixerat, in Chronico suo Austriæ fusè prosequitur. Mathias fratrum junior à Rege Ladislao Viennam adductus, arctæque custodiæ traditus est, vel nè ferventioris indolis Juvenis Fratris necem, inustámque Prosapiæ nobilissimæ infamiam ulcisceretur, vel quia & ipse ad enecandum Principem cum Germano conspirâsse censebatur.

Non diu post reditum suum Ladislaus Viennæ perstitit; actum enim de Nuptiis ab eodem cum Serenissima Magdalena Regis Galliarum Filia jam sibi desponsata, Pragæ celebrandis, quo se etiam ingenti cum comitatu contulerat: & abierant jam primæ Nobilitatis viri, Oratorésque in Galliam, Dominus Stephanus Collocensis Archi-Episcopus, Simon de Tervisio in Universitate nostra Decretorum Doctor, & Cantor Strigoniensis. Georgius de Schönberg, Dominus Zdencko de Sternberg Capitaneus Pragensis, Dominus de Lippa, Dominus Rudgerus de Stahrenberg, Dominus Oswaldus Eizinger, Nicolaus de Lüzelburg in

Univesitate nostra pariter Decretorum Doctor, cum pluribus aliis, ut apparatu nunquam ante ea tempora in Galliis viso sponsam deducerent. Advolabant in Bohemiam incredibili numero tum exteri Principes, tum Provinciarum, Regnorúmque Proceres, omnia denique plus quàm ad Regiam magnificentiam, lætitiámque publicam apparabantur, cum spem orbis, atque Austriæ maximam invida excidêre fata, gaudiorúmque apparatum luctu ac incredibili populorum mœrore confudêre. Nondum enim cum exoptata sponsa redierant Oratores Regii, cùm morbo tentatur Ladislaus, víxque 30. horarum spatio, non sine suspicione propinati veneni, fatis fungitur, cujus non dubia signa & Haslbachius, & Cuspinianus demortui in corpore visa esse affirmant.

Vix tristissima mortis hujus fama in Hungariam delata est, cum comitia indicuntur nova ad Regem communibus suffragiis deligendum, in quibus Regni Majestas decreta est Matthiæ Huniadi à Ladislao prius in carcere detento, adlaborante ad id potissimum Zilagio avunculo suo, quamvis eum ob turbas Regni, aliorúmque Principum Regnum illud sibi vendicare studentium, insignia Regia non ante sequentem annum suscepisse scriptores nonnulli contendant. Nec verò de Austria minor contentio inter Fridericum Cæsarem, Albertúmque, ac Sigismundum Archi-Duces fuit, cùm ætatis quidem, senisque prærogativâ eam sibi Fridericus deberi assereret; reliqui duo nescio, unde conquisitis juribus eandem vendicare sibi studerent, frustra etiam pacis ad studia Principes adhortante Ludovico Duce Bavariæ, qui comitiis tum Austriæ ipse intererat.

Et timebant profectò Viennenses Cives, nè Ducum discordiæ publicam fors in patriæ calamitatem, bellúmque intestinum erumperent: quem justum ob metum Universitatem quoque nostram adiêre rogantes, nè à suis Alumnis fieri aliquid pateretur, quod com-

communi tranquillitati officeret. Adpromisit id se facturum Universitas, at quàm cautè, quámque providè ex Actorum nostrorum his verbis patebit, quæ subjungo.

28. Novemb. Congregata fuit Universitas ad audiendam quandam propositionem Civium, nam tunc noviter ante defuncto Serenissimo Ladislao Hungariæ, & Bohemiæ Rege, hinc difficultas oriebatur Civitati de eo, qui succederet, aut possessurus, & recturus esset Ducatum Austriæ, ideò ad providendum, nè violentiam quo quo modo pateretur, desideravit, quatenus Universitas in tali casu ipsis faceret assistentiam, quòd sic volunt intelligere, in quantum ipsis non essent contrarii committendo bella intestina, & quod de hoc illos certificemus, & conclusum fuit, quòd talis assistentia eisdem esset servanda, secundùm quod etiam expediens foret Universitati; videlicet, quod esset neutralitas, & non constitueret se partialem, ad præcavendam notam cujuscunque Principum tunc superstitum; & ad hujus executionem fecit Dominus Rector publicum mandatum in valvis applicari, quòd & ad dispositionem Rectoris ad singulas bursas, & codrias portatum erat per tres Magistros Artis declarantes, & requirentes in genere studentes ad faciendam obedientiam huic mandato.

Anno 1458. Submissis à Matthia Hungariæ Rege Augustino Jaurinensi, & Vincentio Waciensi Episcopis in Bohemiæ Regem coronatus est Georgius Podiebravius frustra pro Regno eo contendentibus Friderico Imperatore, Carolo VIII. Francorum, & Casimiro Poloniæ Regibus. Hussita ille ante susceptum Regnum fuerat, & in Ecclesiam seditiosus ipse, seditiosorum Fautor, & primipilus, sed antequam Regni gubernaculis admoveretur, in hæc jurare verba jussus est. *Ego Georgius jure profiteor, & promitto coram DEO, & hominibus, & Angelis ejus, amodo, & deinceps legem, & justitiam, pacémque S. DEI Ecclesiæ, populóque mihi subjecto pro posse, & nosse facere, & conservare salvo condigno respectu; sicut cum consilio nostro-*

nostrorum Fidelium melius invenire poterimus, Pontificibusque Ecclesiarum DEI Canonicum, & condignum honorem exhibere atque ea, quæ ab Imperatoribus in Ecclesiis sibi commissis collata, & reddita sunt, inviolabiliter observare Abbatibus quoque, & comitibus, & Vasalis Dominis honorem congruum secundùm consilium Fidelium nostrorum præstare.

In Austria quoque Pax, & concordia inter Fridericum Cæsarem, & ejus Fratrem Albertum, & Sigismundum Archi-Ducem Procerum in primis studio atque adlaborantibus non parum ad eam Patriæ reddendam Universitatis nostræ Doctoribus coaluit, conventúmque inter Principes in sequentia, quæ ex Haslbachio adfero: *Tractatibus usque ad Festa Sanctorum Petri & Pauli in vanum consumptis, hac concordiæ via de unanimi Principum assensu in Vigilia Apostolorum assumpta est, ita quòd sequenti triennio Dominus Fridericus Imperator regere debeat Austriam sub onaso præter Viennam; Dominus verò Albertus Austriam supra Onasum unà cum Styrensi oppido, & quod Wiennenses his tribus præfatis Principibus præstarent fidelitatis juramentum, quod & sequenti die Apostolorum in effectu in Curia Præpositi Viennensis completum est. Neoburgense etiam castrum supra anum tribus præfatis Dominis & jure jurando, & quoad ejus ingressum, & aditum in communi fuit adjudicatum.*

Sic pacatâ tantisper Austriâ, novæ discordiæ inter Universitatis Doctores, ac Facultates exortæ haud parùm Academiam nostram perturbavêre, quarum initia priori ab anno repetenda sunt. Accreverant nempe eo numero Magistri Artium, ut ea suorum multitudine onerari se potiùs Facultas, quàm adjuvari, ornarique sentiret. Non ordine, non judiciô, sed tumultu, ut magnam inter turbam usuvenit, agebantur Facultatis in consessu omnia, opprimebant Seniorum sententiam suffragiorum numero Juvenes, rerum imperiti, vixque ad Magisterii honorem promoti, cui

tam

tam gravi malo ut mederetur Facultas, ſapienter ſanè, ac providè ſtatuit, nè Magiſtri recèns creati ſtatim poſt ſuſcepta Magiſterii inſignia, ùt anteà factum eſt, ad ejus conſilium admitterentur, ſed cum delectu, nec niſi poſtquam annos aliquot eo honoris in gradu verſati, uſu ipſo rerum pertractandi negotia Facultatis peritiam aliquam combibiſſent. Pupugit haud leviter juniores Magiſtros lex ea priori anno lata, hinc adire ſupplices Rectorem, querelis urgere Doctores, aliarum Facultatum uſum, conſuetudinémque opponere, rem denique precibus, & querimoniis eo deducere, ut hoc anno ſeptimâ Januarii Univerſitatis totius conventus indiceretur. Conſedêre ea die ingenti numero Facultatum ſingularum Doctores, ſtatímque ab iis, qui diſcutiendo huic negotio Rectoris juſſu antea dati ſunt, concordiæ modus certis articulis concluſus recitatus eſt, quem Facultas Artium cum junioribus Magiſtris ſuis iniret, quem ex Actis noſtris ſubjungo.

Placuit deputatis concorditer nullo diſcrepante eſſe condeſcendendum petitioni, & deſiderio Magiſtrorum hoc modo: ſcilicet omnibus Magiſtris quantumcunque novellis receptô ab eis juramentô ſecundùm communem formam intereſſe liceat congregationibus, & conſiliis Univerſitatis, & Facultatis ſuæ, ſed in proximo ſexennio poſt Magiſterium ſolùm habeant auſcultare, & attendere, ſicque notitiam, & experientiam rerum agendarum recipere, & nequaquam dicere, vel ponere vota concluſiva. Si autem alicui eorum libeat aliquid dicere conſultivè, & adverſativè, poteſt, obtentâ præviè ſuper hoc expreſsâ licentiâ Decani pro tempore, & quatuor Seniorum tunc actu in congregatione exiſtentium. Sed lapsô ſexenniô, ſi actus ſuos Magiſtrales, ad quos tenentur ex juramento præſtito, compleverint, & honeſtè, ac virtuosè juxta decentiam ſtatûs ſui Magiſtralis ſe geſſerint, habeant facultatem dicendi amplius, & conſultivè, & concluſivè, ſicut alii

Magistri seniores, ad quos hortamur eos in dicendis tanquam magis expertos habere respectum. Si autem aliquis Magistrorum in illo sexennio vitiosè, aut scandalosè, utpote visitando tabernas, & alia loca inhonesta, aut qualitercunque aliter indecenter se gesserit; habeat Facultas Artium plenariam potestatem tales excludendi è consilio ad tempus, vel in perpetuum, vel arcere per alias pœnas sibi solitas, quascunque habet de jure, vel consuetudine suis Magistris sic excedentibus infligere.

Placuit hæc ineundæ concordiæ ratio, tribus quidem superioribus Facultatibus, at non ita Facultati Artium, quæ decessurum non parùm juri suo arbitrabatur, si leges, quarum ferendarum ipsa autoritatem, potestatémque haberet, ab Universitate, aliisque Doctoribus acciperet, iis maximè in negotiis, quæ ad artium duntaxat Magistros pertinerent. Quare Decanus, nè ex aliorum Doctorum suffragiis Rector decideret, intercessit, gravissimis etiam rationibus adductis, ob quas in eum concordiæ modum consentire Facultas non possit. At cùm nihilominus Rector sententiam ferret, juberétque parere Artium Magistros; Decanus initô priùs cum Magistris consiliô coram Notario publico, præsentéque Universitate omni, nec cessuram privilegiis, juribúsque suis Facultatem, nec sententiæ Rectoris parituram professus est, litémque Summum ad Pontificem deferendam edixit, cujus hac ipsa in causa arbitrio Facultas deinceps Artium staret, quibus ita peractis M. Augustinus Elbing unanimi Magistrorum consensu electus est, qui deferendæ, agendæque litis causâ Romanam ad curiam abiret, terruit non parùm hæc Facultatis Artium Romanam ad sedem provocatio Universitatis Doctores reliquos, timebatúrque, nè crescentibus indies discordiis, réque ad Summum Pontificem delatâ, detrimenti aliquid Universitas pateretur, famæque ac existimationis suæ periculum subiret.

Die

Die igitur 29. Januarii cùm coacta in unum locum Facultas Artium de promovenda ad curiam Romanam causâ suâ deliberaret, advenêre ad eundem consilii locum M. Thomas de Haslbach S. Theologiæ Doctor, M. Gonradus de Halstat, M. Michaël de Schrick, Medicinæ Doctor, qui postquam se, suáque studia ad tuenda Facultatis Artium jura obtulerunt, gravissimis primùm rationibus, tum & precibus egerunt, nè appellatio jam Universitati intimata Romanum ad Pontificem fieret, cum non modica Doctorum, Academiæque nostræ infamia, præclarique nominis sui, quod hucusque per Europæ Regna obtinuerat, jactura, quòd perpetuis, intestinísque discordiis Viri à sapientiæ fama ceterùm clarissimi laborarent. Habitæ sunt illico à Facultate Artium Viris his egregiis amplissimæ gratiæ, præclarúmque eorum tuendæ tranquillitatis studium laudatum est, ut verò & ipsa quoque Facultas Artium studium suum conservandæ pacis apertiùs demonstraret, modus, quem illa in adlegendis ad consilium Magistris observari deinceps statuerit, M. Thomæ de Haslbach prælectus est in hunc modum.

Cùm prægnantibus motivis, & rationibus ponderosis non expediat omnes Magistros Facultatis Artium Concilio interesse; visum est expedire, ut saltem Seniores aliqui ad præfatum Facultatis Concilium admittantur. Porrectâ priùs per eos ad Facultatis consilium petitione, & receptô ab eis fidei sacramentô. Secundò quòd iidem in gradu honestè & decenter se rexerint, moribus, & habitu decenti statum Magistralem, caputiô videlicet, & mitrâ, vel caputiô, & birretô adornati, & actus suos compleverint, quos adimplere juramentô per eosdem præstitô sunt obligati, lapsô tamen post acceptum ipsorum Magisterium quadrienniô, sic tamen, quòd eisdem ante completum quinquennium votum in gratiosis non computetur, donec per annum unum, videlicet quintum edocti sint mores & consuetudines dictæ Facultatis, quemadmodum de hoc cavetur in quo-

 dam

dam statuto Facultatis memoratæ per Universitatem approbato, quia inexperti de facili ad concedendum, vel negandum sine rationabili causa moveri consueverunt, & quod quintô annô futurô, & deinceps idem observetur, ut supra est expressum de aliis Magistris, prius tamen completis actibus, & quadrienniô per eosdem, & formatô ipsis ad eorum petitionem prius articulô, quod iterum sint admittendi, si nihil legitimè iisdem obstiterit, quousque aliis emergentibus circumstantiis consilium Facultatis sæpe dicta aliter decreverit moderari. Placuit tamen Facultati addere hanc particulam de completione Actuum, nisi Facultas cum aliquo, vel aliquibus duxerit dispensandum, vel tempus complendi actus prædictos prorogandum. Pergunt dein Acta: *Et in festo S. Blasii convocata est Facultas ad exequendum modum proximè conclusum in Facultate, & vocati sunt Magistri comprehensi sub conclusione prius conclusa, hoc est, qui se haberent secundùm tenorem conclusionis, ex Facultatis motu proprio, & propria authoritate Domini Rectoris, & conclusionis contra Facultatem ipsius, & in præjudicium jurisdictionis, & libertatis conclusæ. Quibus vocatis oblatum fuit, si vellent jurare, ea quæ alii Magistri Facultatis jurarunt, & fideliter defendere honorem, pacem & unitatem suppositorum Facultatis Artium simul, & totius Universitatis, qui jurantes ea, recepti sunt in consilium Facultatis.*

Ex quo quidem luculenter apparet, quàm Facultas Artium jurium suorum & privilegiorum tenax fuerit, quæ, ut servaret integra, ac inviolata adversùs reliquam Universitatem, Senatúmque Academicum, nec expensis, nec laboribus parcens provocare ad Romani Pontificis arbitrium meditabatur, quod hac tamen, quam recensui, ratione, intermissum est. Modúsque hic à Facultate Artium de adlegendis in suum consilium Magistris statutus, non solùm Academiæ Doctoribus omnibus placuit, sed per annos plures usu dein etiam receptus est.

Hoc

Hoc eodem anno Romæ 8. Idus Augusti obiit Callistus III. Summus Pontifex, cui Successor à Cardinalibus datus est Æneas Sylvius Patriâ Senensis, nobili quidem, sed inopi familiâ ortus, qui 3. Non. Septembris Pontificia cum tiara Pii quoque II. nomen suscepit. Dedit hic benevolentiæ suæ singularis adversùs Universitatem nostram testes literas primis statim ab inito Pontificatu diebus, quibus eidem ad id se fastigium evectum esse significabat, favorémque suum, quo jam olim, ac maximè Basileensis Concilii primis annis in eam fuerat, nunc multò majorem adpromittebat, quemadmodum id Acta nostra testantur his verbis:

Nona die Decembris congregata est Universitas ad audiendam literam Sanctissimi Domini nostri Papæ Pii II. & placuit, quòd fieret statio solennis ad honorem DEI, atque ad summi Pontificis felicissimum Regimen, atque prosperitatem; non obstante, quòd priùs habita jam fuisset statio, eò quod sua Sanctitas ita gratiosè dignata fuit honorare Universitatem nostram suis scriptis, favoréque. Et dati sunt Deputati, qui formarent petitum, ne daretur statim via appellationibus adeò frivolis, & ut remedium sua Sanctitas poneret.

Anno 1460. Comitia Austriæ Procerum potiùs quàm Friderici Cæsaris voluntate Viennæ sunt habita; cùm enim superiori jam anno magnatum conventum in oppido Stockerau, repugnante eodem Friderico indixissent, hoc demum anno, Georgii Bohemiæ Regis, quem Austriaci discordiarum decidendarum Arbitrum delegerant, adhortationibus, ac potius minis persuasus Cæsar, subditorum sententiæ subscripsit, Viennæque coëgit Proceres, quos inter viginti Bohemi à Georgio Rege submissi. Eo in conventu propositi rursus sunt Articuli priori anno Friderico jam obtrusi, quorum præcipuus erat, de moneta, seu nummis melioris pretii cudendis, ob quorum corruptelam adeò rerum omnium, quæ ad humanum usum, vi-

ctúmque

ctúmque pertinent, penuria creverat, *ut* (verbis Haslbachii non solùm probati, sed & experimenta quotidiana capientis scriptoris utor) *modius tritici ad 32. talenta ascenderit, & octava vini 12. & 14 Denariis curreret. Ovum in Pascha 5. Denariis emebatur, agnellus 4. solidis vel 5. distrahebatur, & vitulus tribus talentis. Ecce in audita ante secula caristia!* hæc verba Haslbachii. Quantum verò detrimentum ea ipsa pecuniariæ rei mutatione passa sit Universitas, quámque frequenter ejusdem Doctores ad ea Comitia Austriæ evocati fuerint, Acta Facultatis Artium his à me verbis subjectis testantur.

22. Julii suspensa erat materia Inquisitionis (intellige in Bursas studentium) *aliàs dudum per Facultatem instituta propter recessum multorum suppositorum ex caristia tunc crescente propter malam monetam; tum etiam quia tales plures ex deputatis non poterant semper interesse, & præcipuè Decanus qui fuit sæpius vocatus unà cum aliis per Serenissimum Dominum nostrum Imperatorem, qui tunc celebrabat Dietam cum terrigenis Austriæ ex parte malæ monetæ, & multorum aliorum, ad quam Dietam Universitas fuit frequenter vocata, & eadem mutatione desierant esse quatuor Bursæ propter recessum suppositorum ex caristia crescente ob malam monetam.*

Habeo ad manus orationem bene longam, quam Thomas de Haslbach ad Fridericum Imperatorem procerúmque consessum iis in comitiis habuit, qua ad clementiam Cæsarem, Nobiles ad obedientiam præstandam Principi, omnes denique ad concordiam, pacisque studium adhortabatur, quæ, quia longior est, quàm libelli brevitas patiatur, præteriri à me debuit, etsi non pauca scitu dignissima complectatur. Articulos tamen Procerum Friderico Cæsari propositos, ejúsque responsiones breviter, ùt inveni subjiciam.

Querelæ Procerum. Primò: quia judicium Patriæ non ita servatur, ùt antiquitùs à Prædecessoribus suæ

Cæsa-

Cæsareæ Majestatis Ducibus Austriæ observatum est, quare reformatio petitur. Item quòd moneta non ita cuditur, prout Duces Austriæ pluribus suis literis ordinaverunt, & conscripserunt observanda. Item de novis teloniis super vino, sale & frumento, &c. ex qua novitate & divites, & pauperes notabiliter gravantur. Item de communi pace, contra quam hospites, & incolæ in stradis Regiis spoliantur adeò, ut Patriæ contermini non valeant altrinsecus sua negotia exercere, pro suis necessitatibus tractare, aut commutationes exercere juxta priora tempora prædecessoris. Item quòd Judæi nulla commercia, nec tractatus, aut salvos conductus habeant, prout Rex Albertus gratiosè patriam privilegiasse dignoscitur. Item quòd sua Majestas conferat feuda, & ea proclamari faciat, prout antiquitùs observatum est, ordinet quoque quod cancellaria tales non aggravet, quódque sufficiat in scriptis præsentare feuda, ut antiquitùs observatum est. Item ut observentur gratiosæ præscriptiones à sua Majestate, & aliis Ducibus Austriæ factæ. Et quòd honores, & privilegia Patriæ confirmare dignetur. Et quod deservita ab eis stipendia apud suam Majestatem, Regem Ladislaum, & alios Principes Austriæ persolvat, prout hæc antiquitus observata dignoscuntur.

Respondit ad hæc Imperator ùt Haslbachius refert. Et primò annuit de moneta, quod Cives Wiennenses habentes jus monetarum ab antiquo, cuderent in Austria Denarios, quorum seu solidum valerent, unum florenum ungaricalem, & è converso, quódque alii Denarii Regis Alberti tribus aliis obulis compensarentur, nigri verò ejusdem denario novo reciperentur juxta tenorem literæ de novo emanatæ salvis juribus omnibus. Item de novo pacificanda Patria obtulit, quòd eandem procurabit cum adjutorio eorum ita, quòd omnes non habentes proprios Dominos in quorum pane & stipendio degunt, ubique repellantur, & in his

bis Mareschalkum, & Judicem Provinciæ tueri opportunitate exigente ad metas Capitaneum cum populo pro custodia deputare.

Judæos etiam nunquam mansivè in terra hac habitare voluit, prout se pluries obtulit. Etiam se obtulit privilegia patriæ, & Compatriotarum gratiosè confirmare. Item de nova impositione teloniorum respondit, quòd constet ex qua necessitate, quorúmve consiliô id factum est pro meliori, nè quis specialiter in patria gravaretur. Et quia Compatriotæ ex hac, & aliis causis convocandi sunt quantocyus, proposuit, quod pro hac impositione pro communi utilitate Patriæ tractandum est. His & pluribus à Friderico initis aut excusatis, mitigati Procerum animi non nihil sunt, adlaborante magnopere ad concordiam stabilem Universitate, cujus præcipua hoc sæculo gloria fuit dissentientes Principes, populósque conciliasse.

Annus 1461. ut periculosus patriæ, ita ferax laborum Universitati fuit. Evocatus nempe in inferiorem Austriam à Proceribus Albertus Archi-Dux, eam conducto raptim exercitu ingressus est, captísque jam oppidis aliis castra prope Viennam constituit. Exterruit haud parùm belli is apparatus Cives Viennenses, qui ad ferendam obsidionem apparabant singula, inque laboris hujus Martii partem Palladis quoque nostræ Alumnos advocabant, ùt Actorum verba testantur.

Feriâ quartâ in festivitatibus Pascha congregata est Universitas, & proposuit Dominus Rector, quod præcedenti die Sabbathi fuerint missi duo de consilio civitatis, qui petiverunt nomine Magistri civium, quòd Universitas eis faceret assistentiam, si oriretur disturbium in casu jam imminente, & quia non bene intellexit, quam assistentiam cives peterent, eodem die vocavit ad se Magistrum civium, qui habita deliberatione cum suis respondit, quòd Regia Majestas, & ipse, & sui Consiliarii, & tota communitas id peteret, quòd ipsi facerent ordinationem in suis: item quòd si fieret distu-

disturbium, quòd supposita congregarentur in loco uno, & etiam ascenderent murum, & defenderent civitatem; Auditis his responsum est ab Universitate, & conclusum, quòd supposita nostra deberent manere in domibus suis, quia sunt hìc propter studium, & non propter pugnam; tamen necessitate cogente, quæ non habet legem, deberent facere, quod dictat S. Spiritus. Item placuit, quòd illi qui vellent accurrere, & defendere, vel extinguere ignem, accurrerent, & facerent juxta possibilitatem, & fideliter, sicut hucusque visum est à suppositis tempore necessitatis.

Aderat tum fortè Viennæ Reverendissimus Dominus Bessarion Episcopus Tusculanus Cardinalis Legatus à Latere ad Imperatorem Fridericum missus, qui pacis studiosior assumptis in comitatum suum Universitatis nostræ Doctoribus, Albertum Archi-Ducem in castris versantem adiit, ut bellicosum Principem ad concordiam, pacémque cum Fratre Cæsare colendam adhortaretur, verùm nil aliud in responsis ab Alberto acceperat, quàm se nil omisisse hactenus, quod ad tranquillitatem patriæ servandam faceret, reluctari sibi tamen in omnibus Fratrem Cæsarem, ejus injuriâ latrociniis vastari Austriam, periculúmque esse, nè penitus in aliorum Principum potestatem illa concedat; pro hac tuenda se arma suscepisse, nec vulnera, nec mortem pro illius salute se illibenti animo subiturum.

Censuit & Universitas ipsa suo quoque labore, ac conatu dissidentium Principum animos ad pacis, concordiæque studia revocare, quamvis ùt ex subjectis Actorum verbis patebit, id exequi non licuerit.

Placuit (sic Acta referunt) *autem Universitati, quòd scriberetur Principibus nostris, & quòd personæ idoneæ mitterentur cum solenni Ambassiata pro bono pacis, & concordiæ, ut eorum differentia possit sopiri. Circa Ambassiatam autem mittendam conclusum est, ut mitteretur illa honestè cum literis credentialibus Domino nostro*

stro

ſtro Imperatori, & Fratri ſuo Alberto, & ut iis de ſalvo conductu provideretur. Sed cùm tractarent priores Deputati de perſonis mittendis, & literis ſcribendis ad Principes, & præcipuè ad Dominum Albertum, qui erat propè in exercitu, fuit ſignificatum Conſiliariis Domini noſtri Imperatoris, an conſentire vellent, quibus non placuit, quia adventus Bohemorum expectabatur propinquus qui tractare haberent inter Principes, & ſic legatio fuit impedita, quæ pro honore Univerſitatis fuiſſet expeditiva.

Ex quibus patet pacis arbitrum Bohemiæ Regem Georgium fuiſſe conſtitutum, cujus Oratoribus tandem adlaborantibus Albertus arma poſuit, inque certos articulos Principes convenerunt, quamvis quies illa diuturna non fuerit, ùt ſequenti anno referemus.

Erat & alia quoque difficultas, quæ haud parùm Univerſitatem noſtram fatigabat, diſcordiæ nempe inter Summum Pontificem Pium II. & Sigismundum Archi-Ducem Auſtriæ, cui Tyrolis tum parebat, exortæ. Offenderat fortaſſis Princeps hic Nicolaum Cuſanum Cardinalem, Epiſcopum Brixinenſem, contra ejus voluntatem à Pio II. deſignatum, à quo Romæ Summum apud Pontificem graviſſimorum ſcelerum reus agebatur, ac præcipuè quod annuos cenſus ad Eccleſiam, ùt Cuſanus aſſerebat pertinentes, reddere noluiſſet. His commotior Sigismundus Præſulem obſidet, captúmque abducit, arctáque ſub cuſtodia, nè quid ulteriùs in ſe auderet, detinet. Hinc in eum cenſuræ graviſſimæ, hinc Summi Pontificis fulmina, hinc intentata eidem extrema pernicies, ſolvuntur fidei dictô ſacramentô ejuſdem ſubditi, concitantur in illum vicini, æmulíque Principes, immiſſo cognatis etiam à Ducibus in Provincias ſuas exercitu diripiebantur omnia. Has inter calamitates verſatus Archi-Dux cùm auxilii ſpem nullam reliquam cerneret, ad Univerſitatem noſtram confugit, ùt ex ſequentibus Actorum verbis patebit.

Feriâ

Feriâ sextâ ante festum S. Margarithæ congregata est Universitas ad audiendum Nuncium, & literam missam Universitati ab Illustrissimo Principe Domino Sigismundo Austria. Et fuit litera credentialis super licentia Domini SauerWein, quem audire deberet Universitas, & in negotio facere adhærentiam. Ille proponens gravamina Domini sui fecit legi duas appellationes, ubi Dominus Dux videbatur appellare ad futurum Concilium, aut ad futurum Papam petens responsum. Quare dati sunt Deputati, qui rem hanc majoris momenti perpenderent, & referrent ad Facultates. Deputatis igitur in præsentia Rectoris sedulè, & sæpius deliberantibus, Dominus Cardinalis Legatus à Latere informatus undecunque de articuli materia misit pro Domino Rectore, & aliis, persuadendo ut Universitas non omnino surda aure transiret, ne tacendo consentire videretur, sed aliquid responderet, & desiderabat responsum videre. Amplius autem Deputatis convenientibus concordarunt in unum modum & viam, quibus esset Principi respondendum, & Universitati Providendum. Placuit autem Deputatis quod nulla fiat adhæsio Principi Domino Sigismundo in sua appellatione, sed tantum generali modo, quo fieri potest, respondeatur, sive viva vocis oraculo, sive scripto, &c.

Hoc eodem anno scribit D. Sorbaith Georgium Peuerbachium obiisset, sub quo Joannes Regiomontanus Mathematicas disciplinas edoctus est. Sed obitum ejus ad alium annum refert Thrithemius, cujus hæc sunt verba: *Georgius de Peurbach secularium literarum scientiâ peritissimus, & sanctarum scripturarum non ignarus, Philosophus, & Astronomus omnium sui temporis facile doctissimus, ingenio subtilis, sermone compositus, qui in Gymnasio Wiennensi Philosophiam, & Astrorum scientiam multo tempore publicè docuit, ubi inter alios innumeros discipulos Joannem de Regiomonte virum doctissimum erudivit. Scripsit novas Theorias planetarum, & alia complura in Astronomia, quæ ad*

 manus

manus noſtras non venerunt. Claruit ſub Friderico Imperatore tertio, & Paulo Papa ſecundo Anno Domini M.CCCC. LXX.

Anno 1462. Conventus Tulnæ indictus eſt ab Alberto, ſed ex voluntate dein Friderici Viennam translatus, quo ipſe venerat ingenti ſtipatus exercitu, quem è Stiria, Carniolia, Carinthia conflavit. Verùm cum Bohemi, qui ſub illius ſignis ſtipendia merebant, minimè ſolverentur, latrocinari illi, paſſim depopulari agros, devaſtare vineas, magna ſanè Viennenſis populi calamitate cæperunt, acceſſit & Cæſaris mandatum, quo 6000. florenos mutuo ſibi ab exhauſta aliunde urbe petiit, quos, cùm Cives ad manus non haberent, vi etiam extorquere conatus eſt, ut milites ſolveret impunè aliàs in Patriam deſævientes. Sed hinc furor in populo, atque aperta ſeditio, Cæſarem námque in Aula unà cum Imperatrice & Maximiliano filio obſident, ad quem tumultum plebis ſedandum quantum Univerſitas noſtra egerit, ex Actis noſtris patebit, quorum partem aliquam hîc reddo.

* 19. Octobris congregata eſt Univerſitas, creſcebat námque difficultas non modica, eò quòd tunc ſacra Majeſtas Imperialis hic in caſtro cum ſua conthorali Eleonora, & Maximiliano Filio ſuo unico obſeſſa, & circumvallata erat per conſulatum, & communitatem Viennenſem, ut nedum ſuis, nec ſibi liber exitus, nec exteris acceſſus ſive introitus præſtaret. Sed magis contentio properabat ad mutuo ſe hoſtiliter invadendum, ut ſtatim ſequenti die factum edocebat. Circa hoc adviſatus, atque admonitus erat Dominus Rector per perſonas notabiles utrique parti inclinatas, quòd ipſe ac Univerſitas in hujuſmodi notabili periculo toti Patriæ imminenti det operam, & ſuas interponeret partes pro pace, & tranquillitate communi, quia haud dubiè magna eſſet ſpes, quòd aliqua concordia induci poſſet. Et concluſum eſt, quòd Univerſitas ſummopere, & omni diligentia adhibita, melio-

lorique

liorique modo quo posset suas interponeret partes, & pro celeriori executione dati sunt Deputati de Facultatibus cum hoc monito, ut sic procederetur ab eis, nè à neutra parte notaretur Universitas. Convenientibus ergo Deputatis eodem adhuc die placuit illis, quòd adeundus esset M. Civium, qui & invitatus fuit cum consulatu, & aliis multis de communitate præsentibus, & perhortatus multis pulchris exemplis superinductis ad pacem, & concordiam, qui prævio à suis recepto consilio respondit, quòd si Imperialis Celsitudo suos abigeret Soldatos, & extra terræ hujus fines constitueret, in prompto esset assumere interlocutoria, & tractare de via pacis & concordiæ, quod cum postea per Universitatis Deputatos ad Imperialem Majestatem deductum esset, respondit per suos, quod nec ipsi, nec alicui de suis pateret tutus exitus, quomodo tum sibi possibile esset à suis suos abigere stipendiatos, ac repellere, & aliis pluribus brevitatis intuitu recisis, reversi responsum hoc idem in forma Magistro Civium decrevimus insinuandum. Quod Magister Civium his verbis conclusit: Præsto sum, comitivam sufficientem adjungere Imperialibus Nunciis, quod salvi exire, ac redire valeant omni secluso periculo, quemadmodum & aliàs suos liberè permittimus sua nuncia deferre, quocunque libet. Sed de hoc, cùm altera vice rediremus Cæsarea Majestas nondum contenta erat, considerans apud se hanc ipsam causam non fore præsentem respondit: Amoveant & ipsi prius bombardas, & alia arma bellica ante fores mihi posita, & Soldatos suos propinquos, tum & ego ejiciam de terra distantiores. Nam si eorum rectus esset animus, quare Principes extraneos ad regendum advocâssent, de quo nos non habentes certitudinem, nec scientiam præteriti fuimus, subjunxit insuper dicens, nequaquam saltem vitâ comite à regentia discedam, & alia quàm plura, quæ longo consilio inito, eloquio proprio nobis pronunciabat

tan-

tanquam spem, & fidem in Universitate ponens. His tamen non obstantibus à cœpto minimè destitimus, sed magis pulchris exemplis inductis, lachrymosis precibus, & genuflexionibus iterum atque iterum instantes eum admonuimus, quatenus non immemor esset suæ pietatis, & mansuetudinis solitæ, & ex innata sua clementia iram declinaret, & magìs indulgentiam multitudini præstaret, quàm vindictæ locum præberet; sed suspensis animis secessimus, & horum, quam ab ore Imperialis Celsitudinis recepimus, intententionem observato moderamine inculpatæ tutelæ prout potuimus, & ad pacem, & concordiam necessario ad aures Magistri Civium detulimus, cui, & suis tunc præsentibus placuit finaliter, ut amplius ab illa fatiga, & interpellatione desisteremus, attentò quod eis valde esset periculosa, quia Dominus Imperator medio tempore sibi contra eos prævideret, & in eorum destructionem Reges, & Principes advocaret, ac concitaret, ideo coonsideratis eorum animis obtentâ utriusque partis licentiâ ab his de cetero quievimus. *

Enituit interea præclara in Principes Pietas Alumni cujusdam Universitatis nostræ, cui Gronbergero nomen erat, qui cùm Maximilianum Principem cum Parente Cæsare in aula obsessum desiderare avidissimè intellexisset, ut ferina carne, cujus appetentissimus erat, vesceretur, eam non levi pretio coemptam, spretô etiam, quod subierat, capitis periculo Aulæ intulit; tanto in eum deinceps Maximiliani etiam Cæsaris amore, ut non Canonicatu eum solùm donaret, sed ad summa etiam Ecclesiasticæ dignitatis munia evectum illum cuperet, ut ad hunc annum fusius rem hanc omnem Fuggerus enarrat.

Interim quod precibus Universitas nostra evincere haud potuit, perfecit armata manu, adductóque numeroso exercitu Georgius Bohemiæ Rex, ut ab Alberto Archi-Duce Fridericus Cæsar obsessus tanto tempore Viēnensi ab arce dimitteretur. Statímq; convenêre Neo-

burgo

burgo forensi Principes, intérque eos certis conditionibus concordia inita est, quas inter primaria erat, ut Albertus per octo annos cum superiori Austria inferiorem quoque administraret, Friderico verò Cæsari cujus in potestate Neostadium maneret, in annos singulos 14000. aureos persolveret, quo tempore elapso, aut si infra eos annos Albertus decederet, Austriæ totius Ducatus ad Fridericum Cæsarem ejúsque hæredes rediret.

Anno 1463. Pius II. Pontifex à Friderico Cæsare, cui potissimum favebat, seditionis civilis admonitus, indignatúsque, in summum orbis principem id nefas à seditiosa plebe admissum, literas dedit ad Archi-Præsulem Salisburgensem, quibus gravissimis censuris, pœnísque sacris injuriam Cæsari illatam vindicavit. Quas, ùt inveni, hìc integras reddo.

* Dilecto Filio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali Archi-Episcopo Salisburgensi.

Audientes pridem incolas, seu inhabitatores oppidi Wiennensis Pataviensis Diæcesis DEI timore postpósito, famæque, & omnium eorum honoris oblitos charissimum in Christo Filium nostrum Fridericum Romanorum Imperatorem Illustrem, cui fidelitatis juramento, ut naturali suo Domino se paulo ante constrinxerant, solenniter eum præexcogitata temeritatis malitia in suo oppido & propria habitatione unà cum charissima nobis in Christo Filia Leonora Imperatrice, & ejus nobili prole hostiliter obsedisse; commota sunt omnia viscera nostra, & cor nostrum in terra contabuit, ex tanti criminis attrocitate; considerantésque Imperialem Celsitudinem omnium dignitatum temporalium primam fore & summam; ac quod perjurii reatus & læsæ Majestatis crimen in Cæsaream Majestatem utique maximum sit, quódque ad hanc sanctam Apostolicam Sedem maximorum peccatorum spectet absolutio. Ideò dum adhuc ipsa

Imperialis Celsitudo in dicto obsideatur Wiennensi oppido, & eo fortalitio; reservamus nobis illorum nefandorum hominum absolutionem eis non per alium, quàm per nos, præterquam in mortis articulo impendendam, & quod ad hoc omnium clausimus ordinariorum manus. Volentes etiam, si quis forte præfatos absolvere tentaret, præsumptas illas absolutiones nullas, & irritas existere; quæ omnia tibi insinuamus. Circumspectioni igitur tuæ, nec non tuis suffraganeis, ac singulis sacerdotibus secularibus, & regularibus ordinum quorumcunque, etiam mendicantium, & aliorum exemptorum, harum serie sub pæna excommunicationis latæ sententiæ quam his scriptis proferimus; ac etiam maledictionis æternæ autoritate Apostolica districtè præcipientes mandamus, quatenus nec tu, nec quisquam præfatorum, nec alius quicunque aliquem ex criminosis, & perjuris illis Wiennensibus, nisi actu in mortis articulo constitutum absolvere, aut sibi absolutionis beneficium impendere præsumat. Volumus præterea, quod si quis horum ignarus quempiam ex præfatis absolverit, idem illum, quem se absolvere putabat, quantocyus certificare poterit, certificet, quod propter potestatis defectum ipsum absolvere non poterat; ac quod omnes, & singuli absolvendi tales ad nos remittantur. Injungimus insuper tibi sub eadem obedientiæ virtute, ut horum copiam literis tuis inclusam singulis tuis suffraganeis è vestigio transmittas, faciásque hæc nostra authoritate strictissime observari. Verùm nè ignorantia quæcunque valeat excusare; hæc omnia, & singula per totam Provinciam tuam ex ambonibus singularum Ecclesiarum quantocyus publicari procura. Datum Romæ die 16. Januarii Anno 1463. Pontificatûs nostri anno quinto. *

Pervenerunt ejusmodi literæ hoc eodem tempore ad Episcopum Passaviensem seu à Pio II. seu ab Archi-Præsule Salisburgensi (litem enim subterfugio) eidem

trans.

transmissæ, qui anxius, populsque Viennensis metuens in se furorem Universitatis, quam maximam tunc sciebat habere autoritatem, seu scutum opposuit, ut Acta nostra referunt.

Secunda Aprilis congregata est Universitas ad audiendas literas Reverendissimi Patris Episcopi Pataviensis Universitati transmissas. Hortabatur autem in his, quòd Universitas voluntatem suam, & executionem zelo bono procedentem in meliorem partem interpretari dignaretur apud illos, qui ad eam, aut suos per consuetudinem recurrerent. Executio autem ejus erat in summario ista: quod S. Apostolica Sedes reservavit sibi absolutionem quorundam Incolarum, & Inhabitatorum hujus oppidi Wiennensis super certis delictis, & criminibus per eos, prout continebant Brevia commissis, & per nullos alios, quàm per se, præterquam in mortis periculo impendendam. Unde & apud se consideravit, quòd fortassis hi, quos res ipsa tangeret, si qui tales essent, contra eum ob hujusmodi promulgationem amaricari possent; ideo hortabatur, si non nulli horum ad aliquos de Universitate pro consilio recurrerent, & contra hujusmodi insinuationem mussitarent, quòd tunc consulti informarent tales, quòd ipsa procederet ex bono zelo, & esset Pii pastoris providere saluti animarum sibi commissarum, & quòd multa graviora oriri possint, si Apostolicis mandatis non fieret obtemperandum, & similia inducendo eos ad patientiam hortaretur. Et hoc assumpsit, & conclusit Universitas, idque suis omnibus mandavit.

Haud facile dictu est, quàm ea à Summo Pontifice inflicta Viennensibus pœna Alberti Archi-Ducis animum pupugerit, palàm is conqueri malè à Friderico Cæsare extorta ea fulmina, ac Pium II. malè rerum edoctum in insontes ultra quàm fas ac æquum esset sæviisse, provocare à Judice causæ ignaro ad meliùs à se populóque informandum. Urgere denique Universitatem, ut autoritate sua interposita metu liberaret populum

pulum, suæque quam proximè facturus esset appellationi, adhæresceret. Recusavit id diu Senatus Academicus, tum ob reverentiam Pontificis, tum ob metum Friderici; verùm cùm jam precibus, jam minis admotis instaret Albertus Viennâ tunc potitus, nè graviora subiret pericula, aut penitus dissolveretur, coacta est voluntati Archi-Ducis subscribere, eique ad Summum Pontificem provocanti adhærere. Quod quidem quantum Alberto placuerit, vel ex eo patebit, quod de persolvendis ab eo Universitati nostræ stipendiis Acta his verbis referunt.

13. Julii Congregata est Universitas ad audiendam responsionem Domini Principis, & Archi-Ducis Alberti, quam declaravit Dominus Rector nempe quod sua Serenitas jam esset in procinctu ascensura ad Dietam institutam in Landshuta per plures Principes, & quod in ascensu vellet divertere ad locum muta in Ybbs, super qua fundatum esset stipendium Universitatis, & eandem mutam liberare ab his, quibus erat tunc locata, ut in antea Universitas de ea possit exolvi in suo stipendio; & quod etiam sua Serenitas vellet videre, quod stipendium nondum exsolutum propter bella, & controversias jam ferè ad tres annos, etiam exsolveret Universitati. Et conclusum fuit in Universitate, quod ad Principem mitterentur denuo Deputati, ad amplius inculcandum penuriam & necessitatem Universitatis.

Nec minùs boni publici, quam privati sui studiosa fuit hoc rursus anno Universitas; quæ cum mutua Fratrum odia nec Summi Pontificis, nec externorum Principum studiis extirpari, evellique potuisse hactenus cerneret, arduum usque adeò, tótque difficultatibus plenum negotium aggredi ausa est, ut acta rursus nostra referunt his verbis:

Congregata est Universitas, in qua proposuit Dominus Rector, quemadmodum ad ipsum fuerit deductum, quod omnibus modis expediret, ut Universitas offerret se mediatricem inter invictissimum Dominum nostrum Imperatorem

peratorem parte ex una, & Serenissimum Archi-Ducem Albertum ex parte altera super disceptatione eorundem pro Regimine Ducatûs Austriæ. Et negotium totum commissum est expediendum Deputatis omnium Facultatum, qui videant de modo ad explorandas aliorum Principum Germanorum voluntates; quibus habitis media idonea ad pacem reperiant. Item unde debeant recipi expensæ pro personis mittendis ad Imperatorem, & ad alios Principes, & quæ personæ mittendæ sint, quod & factum est.

Nec irritus conatus Universitatis is fuit, flexi enim eo Principum animi sunt, ut Tulnæ conventum Procerum ambo indicarent, cui vel ipsi, vel eorundem Oratores interessent. Interfuit huic conventui Legatus à latere à Pio II. ad pacandos Principes submissus, interfuit & Universitas nostra, eóque res feliciter deducta est, ut Articuli pacis jam certi statuti sint, quibus Fridericus Cæsar una & Albertus Archi-Dux subscriberent. Verùm cum uterque protraheret negotium, rursúsque alia eodem hoc anno in Austria habenda comitia vellent, DEUs tandem pacem summus Arbiter Regnorum statuit, quam reddere Austriæ humani hucusque conatus non potuêre. Extinctus nempe 2. Decembris inopinato malo est Albertus Archi-Dux non sine suspicione propinati sibi ab offensis non nullis Proceribus veneni, ut Haslbahius meminit, atque Austria omnis, tum quæ supra Onasum, Fluvium posita est, tum quæ Panoniam propius respicit, Friderico cessit. Fundavit hic Albertus Anno 1461. Universitatem Friburgensem, quæ filia merito nostræ Viennensis dici, & haberi debet, tum quia primos Doctores, quibus excolebatur, submitti sibi hinc voluit, tum quia statuta, ac consuetudines ab Universitate hac nostra recepit, ejúsque in mores ac vultus unicè efformata est.

Anno 1464. Fridericus Cæsar post suscepta utriusque Austriæ gubernacula petiit quoque, ut Universitatis Doctores, qui stipendia annua merebant,

 fidem

fidem sibi suam jure jurando obstringerent. Quo audito decrevit Universitas (verba actorum hic refero) *quod super isto puncto consultandi essent Rev. Patres Dominus Dominicus Chorcellanus, & Rudolphus Laventinus Sedis Apostolicæ Legati pro tunc hic Viennæ existentes, paritérque Consiliarii Domini Imperatoris, quid esset faciendum in hoc negotio, quod & factum est per eximium virum M. Alexium Tumer de Trosendorff Juris Professorem, unà cum Venerabili Patre Paulo de Mellico S. Theologiæ Professore famoso; Item per M. & Doctorem Wolffgangum de Herzognburga; M. Hermanum de Rottenburga, & M. Joannem Schr,cker de Hittendorff, qui Domini Legati, & Consiliarii suaserunt attentis rationibus & motivis per eos auditis, ut Universitas suos Oratores ad Cæsaream Majestatem mitteret* (intellige Neostadium, ubi tum Cæsar sedem fixerat) *si saltem salvi accedere possent, & recedere, sin autem, per scripta eum visitaret.*

Et verò delegerat jam binos Magistros Universitas, scilicet M. Georgium de Giengen, & Wolffgangum de Herzognburga, qui ad Fridericum Cæsarem proficiscerentur; quibus tamen ob vias latronibus partim, partim militibus obsessas tutus vix aditus patebat. Hinc dilatum tantisper negotium, missus tamen subinde cum literis est M. Innocentius Prædicatorum ex Ordine, quibus Universitas nostra causas Imperatori exposuit, ob quas fidei Sacramentum eidem dicere hactenus recusâsset, quas & hoc loco ex Actis subjungo.

Primò quia sic non esset libera, ut aliæ Universitates, & præsertim ut Universitas Parisiensis, cujus ista Filia est. Secundò etiam argueretur perfidia. Tertiò tunc etiam non posset esse mediatrix inter quoscunque, & si (quod Deus auferat) controversia surgeret inter Terrigenas, Consules, aut civitatem. Immo supposita liberum accessum, & recessum ab Universitate habere non possent, quin aut spoliarentur, aut captivarentur. Præterea, si stipendiati solum fidelitatem præstarent, ad hoc

hoc verisimiliter sequi posset divisio, & scissio in Facultatibus; quia dum negotium tractandum Dominum Imperatorem concerneret; illi stipendiati non haberent votandi locum, quia oporteret eos exire de congregationibus.

Quantum hæ literæ ponderis habuerint ad Universitatis libertatem indemnem servandam, patet ex literis Friderici Cæsaris, paulo post ad eandem datis, quas integras inserere placuit.

Friderich von Gotts Gnaden Römischer Kayser, zu allen Zeitten Merer des Reichs. Zu Hungern, Dalmatien, Cratien &c. Kunig. Herzog ze Oestereich, ze Steir, &c.

Den Ersamen, gelerten, unsern getreuen, lieben, andächtigen, dem Rector, Doctorn und Maistern der Universitet unser Schuell ze Wien.

Ersame, getreue, gelerte, liebe, andächtige.

Als yhr uns yezt der gelübt halben, so am nägsten unsern Räthen, nach unsern bevelchen solten beschechen sein, geschriben, und darum den Ehrw. unsern lieben andächtigen Pruedern Innocentien Prediger Ordens zu uns gesandt, und begert habt eur derselben Gelübde zu vertragen, nach dem das wider eur Privilegi, und alts herkomen were, mit mer Worten derselben eurs Schreibens, und anbringens: haben wier vernomen. Nu hieten wier solcher gelubde, so verr sich ettlich, so der bewerten unser Schuell gelider sein, in dem vergangen Zwislauffen gen uns, anders dann beschehen ist, hieten gehalten, nicht begehrt. Nach dem aber dieselben nach allen yeren vermygen, dürstikleich mit raten, anweisungen, füerdrungen, und in anderweg wider uns gehandlet haben, daraus dan vil ybls, unrads, schimpf, und schadens auferstanden ist: haben wir den obbemelten unsern Räthen, und sunder darum, damit

wir

wir solcher handlung von den glidern derselben unsern Schuell hinfier vertragen bleiben, bevolhen, solch gelubde von eu, und sonder dem so sold, oder stipendi von uns haben, aufzenemen. Doch auf solich eur begeren, wellen wir es dizmals ansteen lassen, in hoffnung, yr wellet darob sein, damit uns solches von dem bemelten glidern unsern ob bewerten Schuell kunffikleich nicht beschehe noch furgenomen werde, sunder yerer lernung, darum sy dan daselbshin gen Wienn komen sein auswarten, und yr desgleichen auch tuet. Ob aber etlich daruber taten, dye darum straffen, und gegen denselben handlen, als sich gebürt, damit man kunstiger aufrüer, und verderbens, und abnemmen unser Schuell, auch unser Statt Wienn, und Land, und Leüt vertragen beleibe. Daran beweiset yr uns gutt gevallen, und ist unser ernstliche Maynung. Geben zu der Neunstatt an Phinztag vor dem Sontag Oculi in der Vasten. Ann. LXIIII. unser Kaisertuembs ym zwelifsten. Unser Reich des Römischen ym vier und zwainzigisten, und des Hungrischen in füsten Jaren.

His literis lectis (acta rursus refero) *gratias summas habuit Universitas Venerabili P. M. Innocentio Ordinis Prædicatorum, qui fidelissimus & Orator, & nuncius fuit. Conclusum est etiam, ut convocatis suppositis Universitatis hæc litera publicè legeretur, ut præfata supposita essent magis occulata, & linguas suas refrenent, &c.*

Obiit hoc eodem anno Summus Ecclesiæ Antistes Pius II. vir inter literatos suo ævo maximus, & ideo Universitatis quoque Viennensis Fautor semper egregius, quostquam annos vixisset 58. Christiano orbi præfuisset annis sex. Atque cum hujus quoque summi viri obitu, seriem quoque Narrationis meæ potiùs quàm Historiæ claudo, non tædio ductus, sed pænuria

tem-

temporis, laborisque, cui muneris, vitæque meæ ratione addictus sum, in dies se se offerentis multitudine pressus. Erunt tamen amantiora literarum Ingenia, qui rudem meum laborem, ùt rerum omnium initia esse solent, quantumvis non probent, voluntatem tamen, inque Matrem hanc meam Universitatem nempe per Germaniam omnem antiquissimam, studium tum laudabunt, tum ubi majus, quàm mihi hactenus erat, otium nacti fuerint, elegantiori scribendi ratione prosequentur.

FINIS.



500 –
Nov. 87

